Inv 64
W 102

FLORA PERUVIANA, ET CHILENSIS,

SIVE DESCRIPTIONES, ET ICONES

PLANTARUM PERUVIANARUM,

ET CHILENSIUM,

SECUNDUM SYSTEMA LINNAEANUM DIGESTAE,

CUM CHARACTERIBUS PLURIUM GENERUM

EVULGATORUM REFORMATIS.

AUCTORIBUS

HIPPOLYTO RUIZ, ET JOSEPHO PAVON,

REG. ACAD. MEDIC. MATRIT. SOCIIS.

Bory de Vincent,
de l'institut de France

TOMUS III.

SUPERIORUM PERMISSU.

TYPIS GABRIELIS DE SANCHA.

ANNO M.DCCCII.

PRAEFATIO.

Habes, benigne Lector, in hoc Volumine ducentas viginti tres totidem plantarum ad Classes V, VI, VII et VIII pertinentium Descriptiones; quarum quidem centum septuaginta sex Figuras in centum quatuor Iconibus adeo diligenter omni ex parte expressas invenies, ut in plerisque Speciebus fructificationes seorsim non exhibere absque operis jactura potuissemus, quippe satis accuratè in planta aut ramis ostensas : sed ad faciliorem Generis, et ipsarum etiam Specierum cognitionem omnes, aut saltem, quae praecipuae ad Genus distinguendum essent, fructificationis partes singillatim dare satius duximus.

Hactenus centum quadraginta novem, ni fallimur, Genera à nobis prodita sunt : nempe centum triginta quatuor in Prodromo, tria in primo Specierum plantarum Volumine, duo in secundo, tria in Systematis Vegetabilium primo Tomo, septem denique reliqua in hoc tertio Volumine : *Bonapartea* scilicet, *Lapageria*, *Luzuriaga*, *Isidrogalvia*, *Guzmania*, *Conanthera*, et *Cosmibuena*; quod extremum Genus Generi eodem nomine in Prodromo evulgato substituimus, illam Speciem triandram sub Genere *Hirtella* collocantes, et ejus ope Characterem genericum reformantes, et perfectiorem, uti speramus, Botanicorum judicio subjicientes, quàm à Jacquino et Linnaeo exhibitus fuit, qui in descriptione nectarium anulare, cui stamina inseruntur, aliasque notas, quae non minus, quàm staminum numerus illam Speciem nobis suaserunt pro diverso Genere reputandam, praetermisere.

Septingentas quoque quinquaginta octo plantarum Descriptiones in primis tribus Specierum Tomis editae recensentur; quingentas nonaginta octo videlicet cum singularum iconibus. Postremò in priore Systematis Vegetab. Volumine sexcentos viginti Characteres specificos digessimus, illarum sane Specierum ad Genera tam nova, quàm nota in Prodromo, in primo Specierum plantarum Tomo, et in memorato Systemate contenta attinentium, aliorumque notorum etiam, et ad priores quatuor Linnaei Classes spectantium.

Cùm autem non exigua Florae nostrae incrementa in dies accedant ex plantis, quas frequenter ad nos mittit D. Joannes Tafalla, qui nobis in Peruviana Botanices Expeditione successit; Species omnes, quas deinceps accepimus, ad octo Classes hucusque emissas pertinentes, aliasque variorum Generum americanorum minus notorum praeter Species novas Generum Europae ignotorum, uti in primi Specier. plant. Voluminis Praefatione polliciti sumus, in universi Operis Supplementum reservamus; quoniam etsi pleraeque earum fruticosae et arboreae sint, et nonnullae viribus suis commendatae, non ita Botanicorum et Curiosorum oculos, attentionemque ad se rapiunt, uti vegetabilia novorum Generum aut Specierum notis et exploratis jam in America virtutibus, et usibus praedita. Horum itaque selectiorum in Tomis, qui sequentur, Descriptiones et Icones praemittemus.

In idem Supplementum amandare posse speramus plerasque plantas, quae in Navis Alcantarensis naufragio toties deplorato perierunt, quarum nova exemplaria nondum recuperavimus. Ex eodem tamen numero stirpes, quas memoratus Tafalla è locis natalibus mittere non potuerit, nos ipsi eas ex speciminibus siccis, quae sodalis noster Cl. Dombeyus in Hispania reliquit, et ex nonnullarum descriptionibus, quas navis *Peruano* appellata, ante id tempus fortunatissimè Gades detulerat, concinnabimus.

In Supplementum quoque, quod quemadmodum conjicere licet, quatuor Voluminibus ejusdem magnitudinis ac hujus Florae Volumina, conflabitur, Descriptiones et Icones reservamus illarum plantarum, quas in America deteximus et quarum, inquam, descriptiones et

icones, mancas quidem, et imperfectas alii Botanici ante nos evulgare nimium properarunt: quod ideo illis accidisse verosimile est, quòd Speciminum completorum, et ritè collectorum copia caruerint, quam ad hujusmodi opus aggrediendum ad manus habere debuissent; seu potius quòd vivas plantas in locis natalibus observare ipsis non contigerit, ut oportuisset, ne tot errata admitterent, quot in operibus ex Speciminibus stirpium exsiccatarum expressis deprehenduntur.

Nonnullas tamen ex his plantis Tomis, quorum editioni in praesens incumbimus, sensim inseremus, ut inde Botanici ceterarum vitia, et nonnullorum Auctorum incuriam conjecturâ assequi possint: quo consilio in hoc Volumine Descriptiones et Icones exhibemus *Oenotherae grandiflorae*, *tenellae*, *tenuifoliae* et *dentatae*, fidem simul nostram liberare incipientes evulgandi *Animadversiones Botanicas in universa D. Cavanilles Opera*, datam in Quinologiae Ruizii Supplemento pag. 119. Eas etiam in sequentibus Tomis emittemus ad plantas pertinentes, quas in Peruvia et Regno Chilensi observavimus et descripsimus, quarumque evulgationis, etsi ex Speciminibus tantùm aut ex plantis cultis ab ipso mutuatarum, laudem nobis praeripuit.

Generum autem, aut Specierum Hispaniae, aut aliarum regionum indigenarum censuram, post Florae huic finem impositum Botanicorum sententiae subdere est animus, quamquam earum plures jam à D. D. L'heritier, Medico, Schreber, Lorente, Ruiz, aliisque Botanicis ad incudem revocatae, emendatae, et ad legitima Genera et Species redactae fuerint.

Hîc pariter institutum servantes, quod in praecedentibus Tomis amplexi sumus, non paucos Linnaei, aliorumque Botanicorum Characteres genericos reformare tentamus, inter quos *Cervantesiam* et *Malesherbiam* exhibemus cum descriptionibus magis completis et iconibus diligentius elaboratis, quàm à D. Cavanilles in suis *Iconibus Cervantesiae bicoloris*, et *Gynopleurae tubulosae* nomine traditae sunt.

Quamquam nostrûm alter memoratum D. Cavanilles privatim et amicissimo animo admonuisset, plantam, ex qua Genus suum *Gynopleuram* constituere cogitabat, eamdem prorsus Speciem esse cum *Malesherbia nostra* (quod ipse inficiare non potuit, uti ex subjecta ipsius Observatione inferre licet); nomen tamen à nobis inditum ultro mutavit. "Huic, inquit, generi videtur simillimum quod in Prodromo Flor. Peruv. et Ch. „ describitur nomine Malesherbiae quin et ipsissimam cum mea prima specie plantam es„ se dixerim, nisi Prodromi Auctores, qui vivam in natali solo explorarunt habere dixe„ rint stylos tres basi germinis affixos, et squamulas (quod illis nectarium audit) sex tri„ dentatas; nec de figura seminum, ipsorumque receptaculis quidquam adjunxerint. Interea „ dum memorati Auctores secundis curis eam plantam dilucident, prodeant nostrae quasi „ diversum genus." Sed cùm ab eo tempore annotationes, semina et nova specimina, aliaque adjumenta adepti simus, quibus cùm Prodromum emisimus, destituebamur; *Malesherbiae* iconem, ejusque Characterem genericum emendatum damus, et ipsi *Gynopleurae* D. Cavanilles Characterem superaddimus, ut Botanicis faciliùs pateat insigne discrimen, quod inter utrumque intercedit, utque quàm inexacti sint *Gynopleurae* Character et Icon, appareat. Hoc idem praestamus cum Icone et Charactere generico *Cervantesiae*, quos profectò imperfectiores adhuc, quàm *Gynopleurae*, in D. Cavanilles *Iconibus* animadvertimus.

Cosmibuenae Genus instauramus ex ea planta, quam in praecedenti Volumine *Cinchonae grandiflorae* nomine insignivimus, atque ex alia quoque Specie à D. Tafalla posterius in Andibus detecta, ubi etiam prior illa provenit: nam etsi Generi *Cinchonae* valde affines sunt, diversissimum tamen Genus constituunt, ut videre est ex Charactere generico, quem suo loco describimus; quo sanè loco fundamenta non parvi ponderis lector inveniet, quibus innixi sumus ad Generi nostro *Gonzalaguniae* Speciem illam associandam, ex qua D. Cavanilles suum Genus *Buena* condidit, eidem Clar. viro illud consecrans, cui nos antea nostram

Cosmibuenam nuncupaveramus : quae, inquam, fundamenta fusius quoque explicata sunt in Quinologiae Supplemento, quod inneunte anno M. DCCCI. in lucem prodiit.

Quoniam verò *Cosmibuenae obtusifoliae* in secundo Volumine sub nomine *Cinchonae grandiflorae* descriptae nonnullas fructificationis partes additae sunt, ut facilius et luculentius appareant discrimen inter *Cosmibuenae* et *Cinchonarum* fructificationem, et utriusque Generis generica dissimilitudo ; *Cosmibuenae obtusifoliae* Iconem in hoc Volumine iteramus sub eodem numero CICVIII, quem illo loco tenuit. Cùmque adeo hominum saluti conferat Cinchonarum illustratio ; è re visum est addere in hoc Volumine duarum Cinchonae Specierum icones et descriptiones, quas postmodum è Peruvia à D. Tafalla accepimus.

Inseruimus etiam *Cinchonae lanceolatae* iconem, quam in priori Tomo ob fructuum defectum omisimus, ut differentia constet inter hanc Speciem et *Cinchonam angustifoliam* nostram, seu *C. Tunitam* D. Lopez, quae D. Mutis *Quina naranjada*, hoc est *C. aurantii coloris* audit, cujusque iconem in Ruizii Quinologiae Supplemento expressimus (1), utque Botanici animadvertant errorem, quem D. Franciscus Antonius Zea humanitùs admisit, cùm eas pro Varietatibus reputavit, sententiae D. Mutis praeceptoris sui acquiescens, qui asseverat, quatuor tantum Species exsistere *Cinchonarum officinalium*, ceteras autem meras Varietates esse : quod neque ullo rationum pondere adstruxit, neque ipsarum Specierum aut Varietatum, ut ipse appellat, descriptiones dedit : nos verò in memorato Supplemento demonstravimus, omnes Species magis ob efficacitatem in Medicina commendatas, penitus diversas esse à quatuor Sanctaefidensibus Speciebus ; de quibus D. Mutis illud tantummodo asserere posset, eas scilicet quatuor in illa regione officinales esse ; nam cùm nunquam *Loxae*, *Jaen de Bracamoros*, reliquosve *Quitensis gubernationis*, neque ceteros *Peruviae* montes peragraverit, in quibus praestantiores *Cinchonae* sponte proveniunt, ejus opinio nullam ad suadendum vim habere potest.

Jam jam ad finem properabat hujus Voluminis editio, cùm ad manus nostras pervenit quaedam *Dissertatio de febribus perniciosis intermittentibus, Parisiis à C. Alibert* in lucem emissa. In ea transcriptum ferè Commentarium de Cinchonis aurantiaca, rubra, lutea et alba legimus, quem D. Franciscus Antonius Zea ex Ephemeridibus compilavit, et *Historiae Natur. Annalibus Matritensibus* inseruit, simulque deprehendimus Cincho-

(1) *Animadversio D. Pavon :* Cùm D. Ruiz in sua Quinologia nullam illarum septem Cinchonae Specierum differentiam specificam, sed tantùm completam singularum descriptionem dederit ; mirum videri debet, D. Wahl hujusmodi Species discernere non potuisse, atque adeo ad D. Cavanilles scripsisse, ut hic in *Annalibus hist. natur. num. 10. pag. 17.* prodidit his verbis, quae latine reddita sic sonant. „Quidam Ruizii Tractatus de Cinchonae Genere in „ sermonem Germanicum conversus est ; sed Oedipum „ esse necesse est ad Species discernendas.“ *Wahlius in Epistola, quam penes me servo.*

Haec assertio D. Wahl fidem tunc, et indulgentiam mereretur, dummodo leviter et perfunctoriè Quinologiam legisse existimetur ; aliter enim vix credibile est, Clarissimum Virum discrimen non eruisse ex differentiis specificis, quas Botanico ex descriptionibus elicere facillimum fuit. Ego quod ad me attinet, fateri ingenuè debeo, me ut primum D. Ruizii librum evolvi, discrimen septem Specierum animadvertisse ; mihique persuadeo, idem accidisse ceteris Botanicis tam hispanis, quàm exteris, qui in suis scriptis illum Tractatum commendarunt, quique ut pote Opus hominum saluti utilissimum, et in suo genere unicum in suos sermones vernaculos converterunt.

Addendum quoque videtur, Quinologiam à Medicis, Chîrurgis et Pharmacopoeis cum plausu exceptam fuisse, simulque à Corticis peruviani Collectoribus et Mercatoribus, ob notiones valde proficuas, quas continet, et ob perspicuitatem, qua quaecumque ad historiam, collectionem et plantae commercium spectant, fideliter et diligenter perscripta sunt.

Ceterum ipse ego, qui certè Oedipus non sum, divinare audeo et asserere, septem è decem Speciebus, quas D. Wahl de *Genere Cinchonae* Tractatus comprehendit, hujus Generis non esse Species ; quemadmodum etiam recognovi, unicam Speciem à D. Cavanilles *Cinchonae philippicae* nomine evulgatam ad *Cinchonae Genus* non pertinere. Denique conjectura quoque assequimur, D. Cavanilles eo quòd in hujus Operis secundi Tomi Praefatione hoc postremum indicavimus, ideo D. Cavanilles in praedictis *Annalibus* D. Wahl Epistolae effata transcripsisse ; quae non in Ruizii descriptiones recidunt, sed potius D. Wahl non satis rectè illas intellexisse coarguunt.

Quamobrem confido, eorum impugnationes, qui Ruizii Quinologiam non rationibus, sed cavillationibus infringere conati sunt, judicium doctiorum, quod merentur, subituras.

narum descriptiones, et icones eidem Commentario à D. Alibert additas ex Opere D. Wahl, et è Flora Peruviana desumptas esse ; atque adeo nihil novi ibi inveniri, quod supradictum Commentarium, à nobis solidissimis rationibus in Quinologiae Supplemento impugnatum, perficiat.

Verum enimvero taciti nullo modo praeterire possumus, in memorata Dissertatione pag. 228 novum D. Zea effatum reperiri : *Ruizium* scilicet, *et Pavon*, uti testatur C. Alibert, *saepe infidos in eis, quae referunt, esse, et Botanicos ea cautè, et prudenter legere oportere.* Ad hoc assertum, seu gravissimum convicium comprobandum addit in Annotatione, *Ruizium imperfectissimam Myroxyli peruiferi descriptionem evulgasse*, idque uno fundamento adstruit, *quòd cùm illa arbor constanter sit dichotoma, Ruizius tamen ejusdem ramos ferè horizontaliter protendi asserat.* Sed neque arbor, neque Myroxyli *Ruizii* rami, quorum Specimina plura spectandi cupidis ostendere possumus, sunt dichotomi : et quamquam dichotomi essent, non videmus quid obstet, ne horizontalem aut aliam quamlibet directionem servent? Id Clar. Alibert non vidisse, satis mirari non possumus.

Interea tamen spes est, C. Alibert sententiam mutaturum et calumniam, quâ nos D. Zea in Ephemeridibus gallicis invadere conatur, recogniturum simul ac Quinologiae Supplementum evolverit, quod quidem eo consilio illi mittendum curamus ; ex quo etiam animadvertet, de Cinchonis Botanicè nihil hactenus scriptum fuisse, quod fidem mereatur praeter evulgata à nobis, quibus ex ipsis arboribus ramos, flores et fructus evellere licuit, et in locis natalibus describere et delineare.

Ad differentias plantarum nostrorum Generum specificas eliciendas eisdem partibus, ac in prima Specie, in reliquis singulorum Generum Speciebus usi sumus : quod adeo necessarium est, etsi non parum difficile, praesertim in Generibus ex multis Speciebus constantibus, ut aliter se gerenti plures Species fictitias et ex unicae Speciei individuis in diverso solo et diverso tempore observatis lectori objicere proclive sit, uti factitatum videmus in quibusdam Operibus, praecipuè in Tractatibus plantarum speciminum exsiccatorum ope penitus conflatis.

Quis enim dubitet, Characteres specificos hujus, vel illius Speciei stirpium ex eisdem partibus desumptos unicos esse methodicos, qui ad faciliorem et certiorem earum distinctionem conferunt, quamquam tyronibus fortasse obscuriores videantur, quàm differentiae è diversis partibus depromptae? Enimvero si ad primae Speciei alicujus Generis differentiam folia, et inflorescentiam adhibueris ; ad secundae autem folia, caulem et stipulas ; perversissimus differentialis Character inde emerget, cùm in primo deessent duae alterius notae, atque in hoc illius una, inflorescentia scilicet, desideraretur : et quoniam ejusdem partis comparatio deficiat in hujusmodi differentiis ; non mirum est, tyrones saepe hallucinari.

In novis Generibus praeter Characterem genericum naturalem adjecimus notas dissentientes, in omnibus suis Speciebus animadversas ; continuo additae sunt notae, quibus à Generibus magis affinibus distinguuntur ; iisque succedit Character differentialis è notis insignioribus omnium fructificationum partium in Characteris generici parte contentis, et in eodem fusius explicatis, ut facilius pateat discrimen illius Generis et affinium. Ad extremum exposuimus habitum, modo duabus aut pluribus Speciebus Genus constet, ut quasi compendiario omnium earum habitum Botanicis praeberemus.

In Speciebus cùm novis, tum cognitis post earum descriptionem, regni, provinciae, loci natalis, et soli notitiam, ubi plantae crescunt, atque temporis, quo eas florentes exploravimus, usus viresque, quibus gaudent, et nomina vernacula ; inseruntur nonnullae opportunae Notae et Observationes : cujus ordinis methodici ope invenient Botanici, ceterique lectores quaecumque ad singularum Specierum historiam pertinebunt.

In *Historiae Naturalis Annalibus num. 10.* legimus ea, quae sequuntur à D. Cava-

nilles pag. 16. inserta, et ex quadam epistola excerpta, quam eidem à D. Ventenat scriptam asserit, in latinum sermonem conversa: "Clar. Jussieus responsum D. Ruizii acce-„ pit, quod nimium diffusum est: sed nihil singulatim de argumento disserit, de quo agi-„ tur." Addit D. Cavanilles, *multum locutus est, nihil autem ad rem dixit.* Sed cùm omnia penitus diversa legerimus in Epistola, quam Clar. Jussieus D. Ortegae postea scripsit; veritatis, et nostrae Florae honoris gratiâ cogimur publici juris in hoc Volumine litteras facere, quas Ruizius Jussieo scripsit, hujus dubia, observationes et interrogata addentes, quae in eadem epistola brevitatis causa, et quoniam putavimus Botanicos è responsis conjicere dubia et interrogata posse, praetermissa sunt; atque etiam ut Lector certior fiat, D. Ventenat rationis et modestiae limites in memorata Epistola, D. Cavanillesio (1) scripta, transiliisse, subjiciemus, quae D. Jussieus D. Ortegae scripsit.

"Edidisti, Vir Clarissime, utiles admodum in Botanices labores et optimos discipu-„ los instituisti; D. D. Ruiz et Pavon eorum Praeceptori honori sunt: ipsi una cum di-„ lecto nostro Dombeyo iter haud spernendum fecerunt, et illo fortunatiores itineris fruc-„ tus modo evulgant. Legi statim avidissimè eorum Genera nova: nonnulla redigi posse ad „ Genera jam nota mihi visa sunt: Verum plaeraque nova sunt, et opes botanicas, quas pos-„ sidemus, valde augent. Jam ab eo tempore mea dubia domino Pavon transmisi, qui ea cum „ D. Ruiz communicavit: hic ad me nuper scripsit Epistolam non parvi momenti, ad quam „ in dies respondere cogitabam: sed non id solum agebatur, ut responderem Epistolae ur-„ banitati; responsio investigationes et discussiones requirebat, quibus incumbendi otium „ non erat, atque adeo in crastinum quotidie differebam. . . . Accepimus peregrinatorum „ peruvianorum Opera hucusque evulgata valde utilia ab Hispaniarum Rege Academiae nicorum non parvi nominis haud exiguum numerum recensere possem.

Ibidem etiam addit D. Cavanilles, nos nova vocabula *calycis adhaerentis* et *calycis liberi*, quae D. Ventenat inducere conatus est, tamquam praeferenda *calycis superi* et *calycis inferi* vocabulis à Linnaeo, Jacquino, Jussieo, Ortega, L'heritiero, Lamarckio, Schrebero, Willdenouo, Smithio, ceterisque primi subsellii Botanicis receptis, improbasse, simulque nos ob inventum utile ei bellum inferre, inventum appellans, quod Botanicorum nemo inventum judicet, neque utilem exsistimet novorum terminorum usum in scientia, cùm recepti jam sint alii, et omnibus Botanicis operibus consecrati. Celeb. Jussieus Introductionis in sua Genera plant. pag. 12 de calyce agens: "Calyx, „ *inquit*, non abit in fructum, ut ait Tournefortius, neque „ ipse vere superus est, referente Linnaeo, sed ipsum à „ basi obtegit integrum simul concrescens (*vide Act. Pa-„ ris. 1773. pag. 223*). Linnaeanum tamen vocabulum „ Botanicis acceptum admittitur, mutatâ tantum deffini-„ tione." Nos Clar. Jussieo assentimur; neque dubitari debet, quin praestantiores Botanici et quilibet sapientes idem sentiant, extrudantque novum duorum vocabulorum usum non necessariorum.

Nunquam, aut raro Calyx totus germini adhaeret; plerumque à basi ad medium tantummodo accretus observatur, et reliqua pars libera; quin etiam aliquando tertia aut sexta solum Calycis pars adhaeret; quapropter terminus *adhaerens* utpote, qui partem adhaerentem aut potius accretam non satis determinat, haud praeferri vocabulo *superus* meretur: quo accedit illo neutiquam explicari modificationes, seu gradus Calycis seminferi et semisuperi, quas denominationes Botanici usurpant, cùm calyx non est penitus superus aut inferus. Praeterea vox Calyx vas significat: atqui impropriè vasis nomen acciperet Calyx inti-

(1) *Annotatio D. Pavon.* Diligentissimè perlegi Clar. Jussiei dubia, observationes et interrogata, simulque D. Ruizii ad singula responsa; et hunc illius dubiis et interrogatis solidè atque ingenuè respondisse, judico, eodem ordine, quo scripta fuerunt in Epistola mihi à D. Cavanilles tradita: omnia à D. Ruizio perfectè dissoluta fuisse, recognosco, eumque ad legitimas Classes naturales pleraque Genera redigere, quae Jussieus in illis collocare verisimile est non potuisse, eo quòd plantas non viderit. Illud etiam animadverto, Ruizium variis in locis collocationem nonnullorum Generum à Jussieo stabilitam emendare, atque habitum addere in plerisque Generibus, in quibus ille desiderabatur, et à Jussieo in sua Epistola poscebatur; postremò meum Sodalem Botanicen illustrare atque undique cognitionem scientiae theoricam et practicam singularem ostendere, mihi extra dubium videtur.

Non assequor rationes, quae D. Ventenat ad D. Cavanillesium adeo immerito, et inurbanè scribendum impulerunt, *Ruizii responsum esse nimis diffusum, &c.*

¿Quis autem non videt, in hoc Ventenatum Jussiei Epistolae manifestò contradicere, à D. Ortega posterius postulantis, ipsum apud Ruizium excusatum habeat, *eo quòd ejus litteris adeo utilibus non responderit?* Confido equidem, Botanicos, omnesque etiam lectores, cùm interrogata et responsa viderint, sententiam, quam Ruizius meretur, laturos tum in hac causa, tum in aliis controversiis botanicis cum D. Cavanillesio suscitatas ab eo tempore, quo primam illam Epistolam in Peruvia scripsit adversus *Malvacearum Genera*, quam consecuta est altera in Commentariis litterariis Matritensibus mensis Aprilis et Maji anno 1790, ubi rationes et fundamenta exposuit, quibus motus illa Genera pro Generum cognitorum Speciebus reputabat. Mihi verò constat, omnes Ruizii Epistolas ab exteris Botanicis laudatas fuisse, quorum quidem Bota-

„ nostrae, seu Galliarum Instituti, et Horti Botanici Bibliothecis dono missa, quae cu-
„ pidè evolvo: optimè elaborata sunt, et gloriam afferent eorum auctoribus, et artifi-
„ cibus, quorum opera in delineandis plantis et iconibus aeri incidendis, descriptionibus-
„ que praelo subjiciendis usi sunt. Quod hucusque prodiit, desiderium excitat cognos-
„ cendi quod sequuturum est, quodque haud minori plausu à Botanicis excipietur. Cùm
„ licebit, diligenter singulas plantas hujus Collectionis examinabo, praesertim eas ad no-
„ va Genera spectantes. Specierum evulgatarum inspectio juvabit ad comprobanda, vel
„ dissipanda mea dubia, et opiniones, quas in litteris ad D. Pavon indicavi, tuncque
„ D. Ruizio accuratius respondere potero. Hic in lucem edidit Epistolam mihi ab ipso
„ scriptam; verùm haec Epistola lectoris attentionem ad se rapere non potest, qui scriptum ig-
„ norat, ad quod respondet; et miratus sum, utrumque simul non fuisse evulgatum. Ce-
„ terum D. Ruizio gratias ago pro humanitate, qua mihi transmittendam curavit Collec-
„ tionem, cui memorata ejus Epistola inserta est. A te peto, gratias ei meo nomine agas,
„ dicasque occupationes, quae hactenus me impedierunt, adhuc impedire. . . . Generum
„ meorum alteri editioni parandae assiduè incumbo, et sensim *Species* paro eodem ordi-
„ ne redactas. *Genera et Species Peruvianas* ibidem non omittentur, et ad Opus ditan-
„ dum conferent. Cuperem etiam, omnia à te evulgata cognoscere, ut in idem opus
„ conjiciam." *Hactenus D. Jussieus ad D. Ortegam.*

Ad calcem hujus Praefationis inveniet Lector Epistolam, quam Ruizius Clar. Jussieo scripsit mense Januario anno 1800, dubiis respondens, quae de Prodromi novis Generibus per Pavon significaverat, atque interrogata una cum responsis eodem ordine offendet, quo ipse Jussieus ea examinavit in scripto per D. Cavanilles misso.

Epistolam sequitur Index Generum et Specierum Plantarum in Peruvia delineatarum,

mè germini adhaerens, à quo separari non posset sine ejus dilaceratione, ut in inferiore parte Calycis fructus Pyri et Ribesii contingeret.

Denique ejusdem Annalium numeri pag. 115 contendit pro virili D. Cavanilles, semen *Nucem* vocatum esse Pericarpium, seu Fructum tectum; sed si reverâ hoc esset, Pericarpium Nucem haberemus intra Pericarpium Drupam in generibus Pruno, Amygdalo, Plinia, Varronia, Eugenia aliisque plurimis Generibus secus ac sapienter docet Linnaeus in Philosoph. Botanicae Canone 113. per haec verba: *Pericarpium naturaliter clauditur, nec repletur minoribus Pericarpiis, sed saepius succulentum transit in Baccam.*

Ibidem paulo post inquit: "Semen, quod vegetale
„ ovum est et plantae nasciturae compendium, epidermi-
„ de semper vestitur. Cùm Semina aliam epidermidem
„ non habent, nuda appellantur, et cùm habent, haec Pe-
„ ricarpium audit." Omnes autem Botanici duo tegumenta magis aut minus perceptibilia in Seminibus recognoscunt, quarum extimam *testam*, interiorem *membranam* vocant: utraque invenitur tam in Nucibus, quam in ceteris Seminibus, hoc tantum discrimine, quod Nucum extima sit ossea, reliquorum diversae consistentiae atque adeo semen *Nux* salva ratione et natura recenseri non potest inter Pericarpii, seu Fructûs Species, qui Semina continet intra tegumenta, quae licèt necessaria ad ejus incrementum et maturitatem, sunt prorsus inutilia, et germinationem impedientia vel retardantia, si illis cooperta terrae mandantur.

Cùm verò Nuces à tegumento osseo separatae germinare nequeant, quamtumvis nucleis adhaereat adhuc membranaceum et ipsis nucleis contiguum (putrescunt enim satae penitus intra paucos dies), uti videre et est in Avellanarum, Cerasorum, Amygdalarum, Pinûs fructuum nucleis; inde infertur, tegumentum nucis osseum, tunicam propriam exteriorem, integrantemque esse hujus seminis speciei, in qua cicatricula funiculi umbilicalis invenitur, non secus ac in omnibus tunicis exterioribus, seu testis Phaseolorum, Cucurbitarum, ceterisque diversae consistentiae seminibus, quae aditum praebet fluidis et liquidis in nucleum ad ejus germinationem promovendam. Enimverò experientia constat, easdem Nuces opportunè germinare, modò cortice osseo, seu testa coopertae sint. Maneat itaque inconcussum, *Nuces* vera semina esse, neutiquam Pericarpia, seu Fructus tectos, qui quidem vera semina ossea, vel non ossea involvunt, quandiu haec illic nutriuntur et maturantur, veluti animadvertitur in Pruno, Pyro, Solano, Piso, Papavere, Cheirantho, Vinca et Pinu, quarum plantarum fructus sunt vera Pericarpia: Drupa scilicet, Pomum, Bacca, Legumen, Capsula, Siliqua, Folliculus et Strobilus.

Reverâ Linnaeus in prima Systematis Vegetabilium editione, cùm nondum observationes, quas postea perfecit, facere instituisset; Nucem inter Pericarpii Species recensuit, ut modo D. Cavanilles; sed indefessus ille naturae Scrutator, Nucem verum esse Semen deprehendit, et se ipsum corrigens, eam inter semina testâ osseâ praedita, collocavit in reliquis illius Operis editionibus, uti etiam in *Philosophia Botanica*, in *Generibus plantarum*, et in ceteris Botanicis scriptis, quibus à vigesimo primo aetatis anno ad octogesimum secundum scientiam illustravit.

Spes est igitur, D. Cavanilles in hac nomenclaturae Botanices parte, gravissima Botanicorum Principis exemplum imitaturum, ubi has rationes perlegerit, et animadversurum, Nucum Nucleos, vegetabilium ova testâ destituta esse, quae ob defectum illius tegumenti germinare nequeunt, quemadmodum animalium ova, quae sine testa aliquando exeunt, frustra incubantur.

quae ad tredecim priores Classes spectantes reservatae sunt, evulgandae statim ac huic Operi finis imponatur, veluti Supplementi vice, eâdem methodo, quâ hactenus usi sumus.

E Peruvia reduces, nonnullas nostrorum novorum Generum Peperomiae, Xuareziae, Sarachae, Periphragmos, Vallesiae, Cerdanae, Calydermos, Semarillariae, Porlieriae, Negretiae, Vermifugae, Galinsogae, Llagunoae, et Ruiziae Species in Horto Reg. Botanico Matritensi jam vegetantes, offendimus, plurimasque etiam aliorum Generum antiquorum à nobis primum detectas Species, quarum semina una cum novorum Generum plantarum seminibus legeramus, in nostro, per Regnum Peruvianum et Chilense itinere et in Europam miseramus, sive Generum etiam nostrorum ab aliis ante nos Reipublicae Botanicae communicatas. Ex earum numero plures erant ad sequentia Genera attinentes.

Amomum, Canna, Piper, Salvia, Dianthera, Justicia, Boerhaavia, Calyxhymenia, Cyperus, Paspalum, Acaena, Convolvulus, Ipomoea, Datura, Solanum, Heliotropium, Cestrum, Ayenia, Büttneria, Achras, Rauvolfia, Plumieria, Cerbera, Asclepias, Cynanchum, Pancratium, Amaryllis, Alstroëmeria, Sapindus, Dodonaea, Parkinsonia, Poinciana, Larrea, Bauhinia, Cassia, Bocconia, Heliocarpus, Cactus, Psydium, Mammea, Annona, Bignonia, Cleome, Malva, Sida, Urena, Dolichos, Phaseolus, Hedysarum, Astragalus, Indigofera, Dalea, Psoralea, Eupatorium, Bidens, Tagetes, Cacalia, Pectis, Sigesbeckia, Eclipta, Anthemis, Helianthus, Encelia, Cosmos, Polymnia, Momordica, Ambrosia, Croton, Jatropha, Elaterium, Celtis, Mimosa.

CATALOGUS

NONNULLORUM GENERUM SPECIERUM, QUAS CUM ICONIBUS IN AMERICA

elaboratis possidemus ad 13 priores Classes pertinentes, quaeque in quatuor prioribus hujus Florae Voluminibus non inseruimus ob causas in Praefatione explicatas, atque alias, quas commemorare non est necesse, quaeque in hujus Operis Supplementis publicam lucem videbunt una cum aliis speciebus in America etiam delineatis.

Classis I.

Genera.	*Numerus Specierum.*
Amomum	1
Costus	2

Classis II.

Justicia	2
Dianthera	1
Calceolaria	2
Peperomia	2
Piper	1

Classis III.

Calyxhymenia	1
Gen. nov. ex Iridibus	1
Cyperus	5
Scirpus	6
Graminea	17

Classis IV.

Pavetta	1
Ixora	3
Coccocipsilum	5
Ohigginsia	1
Manettia	3
Cissus	1
Acaena	1
Genus novum	1
Indeterminata	2

Classis V.

G. nov. Anagallid. aff.	1
G. nov. Cinchon. aff.	1
G. nov. Hirtellae aff.	1
Genus novum	1
Ceropegia	1
Convolvulus	4
Cinchona	1
Saracha	1
Solanum	1
Genipa	1
Varronia	1
Cestrum	1
Gardenia	1
Hirtella	1
Conocarpus	1
Alzatea	1
Achyranthes	5
Psychotria	8
Coffea	3
Echites	1
Plumieria	1
Cerbera	1
Stapelia	2
Cynanchum	10
Asclepias	2
Gentiana	5
Chenopodium	1
Phelandrium	1
Anethum	2
Alsine	1
Basella	1
Aralia	2
Linum	1
Indeterminata	4

Classis VI.

Bromelia	1
Tillandsia	1
G. novum	1
Pancratium	1
Asphodelus	2
Yucca	1

Classis VIII.

Guarea	5
Vaccinium	2
Neea	1
Paullinia	9
Coccoloba	1
Sapindus	1

Classis IX.

Bauhinia	2
Poinciana	2
Parkinsonia	1
Cassia	8
Trichilia	5
Svvietenia	1
Tribulus	1
Limonia	1
Heisteria	1
Melastoma et huic Generi aff.	26
Jussiea	4
Gaultheria	1
Arbutus	1
Stellaria	1
Silene	1
Erythroxylon	2
Malpighia	1
Banisteria	6

Classis X.

Spondias	1
Oxalis	7

Classis XI.

Bocconia	2
Triumfetta	2
Lythrum	2
Euphorbia	4
G. nov. Heliocarpo aff.	1

Classis XII.

Cactus	15
Myrtus	4
Prunus	3
Sesuvium	1
Tetragonia	1
Mespilus	2
Rubus	2

Classis XIII.

Mentzelia	1
Corchorus	1

In Volumine quinto et sequentibus adjiciemus Catalogum plantarum, quae ad undecim postremas Classes spectabunt, earum nomina Botanicis et Botanices studiosis praemittentes.

In Supplemento nonnullas plantas ab aliis Botanicis antecessoribus inventas et evulgatas inseremus, eo quòd earum descriptiones et icones perficere conati sumus praeter non exigui momenti Observationes, quas addimus de earum viribus et usibus, in quos incolae illas usurpant; qui quidem proprius et praecipuus Botanices scopus est, et scientiae fructus uberrimus. Debet enim Botanicus, posteaquam vegetabilium cognitionem per characteres eorum structurae externos assequutus fuerit, nervos omnes intendere, ut proprietates et usus detegat, praeceptis innixus, quae ipsa Scientia ad id adipiscendum suppeditat. Parum enim, aut nihil homini prodesset, corpora naturalia inter se distinguere, nisi eorum auxilio sibi victum, vestitum, aliasque utilitates, et vitae commoda et morborum levamen parare possit. Quod si in hanc indagationem Botanici non incumbunt ¿à quonam stirpium proprietatum, et virium plantarum cognitionem petent Medicinae Professores, alioquin Botanices expertes, ut experimentis ea comprobent?

HIPPOLYTI RUIZ
AD CLAR. VIR. A. L. JUSSIEUM,
BOTAN. PROFESSOREM PARISIENSEM,
EPISTOLA,
IN QUA EJUS DUBIIS CIRCA NOVA PLANTAR. Genera in Flora Peruviana, et in D. Cavanilles Operibus constituta respondetur.

CLAR. VIRO, D. ANTONIO L. JUSSIEO,

PRAESTANTISSIMO BOTANICES PROFESSORI PARISIENSI,

HIPPOLYTUS RUIZ

FELICITATEM.

Cùm ex postremo Dubiorum tuorum, Vir Clar., Catalogo, quem per D. Cavanilles sodali meo Josepho Pavon misisti super Florae nostrae Peruvianae Prodromi Generibus, cognoverim, te per eundem Cavanilles plures Annotationes ad superiora tua Dubia accepisse, qui nullam mei mentionem faceres, quamvis illarum elucubrationi non parva ex parte interfuissem; peropportuna mihi occasio visa est ad te absque interpositis personis scribendi, et studium, perpetuamque meam erga te observantiam testandi, simulque rationes tuis fortasse Botanices illustrandae consiliis non inutiles prorsus futuras ostendendi, quae nos quidem ab admittendis novis Generibus *Molina*, *Palavia*, *Pavonia et Ruizia* retraxerunt.

Eorum sanè constitutioni adversantur cùm Linnaei Canones, tunc etiam doctrina et exempla Jussieorum, quibus assentiuntur non pauci Botanici, qui exsistimant, haec Genera, quemadmodum etiam plura alia, à D. Cavanilles condita, in forum botanicum recipi non debere.

Molina itaque hujus Scriptoris ex Sonnerat, Lamarck, meaque sententia, *Banisteriae* species est. Idem sentiendum de *Flaveria* et *Tetrapteride*, quas prorsus easdem inter icones et ceterarum *Banisteriae* Specierum Peruvianarum exsiccata specimina possidemus. Schreberus autem haec ipsa duo postrema Genera *Hiraeae* et *Triopteridis* Generibus agglutinavit; quin ea omnia in unum coagmentanda oportere ego arbitror, siquidem Pericarpii alarum figura et numerus non tanti momenti sunt, ut propterea separari mereantur; quod si hoc tam levi de causa fieret, Botanices scientia universa penitus rueret, et tot Genera, quot Species haberemus: nam quae species intra idem Genus Pericarpio non differunt, aliis fructificationis partibus differunt.

Asserit D. Cavanilles, Molinam suam *à Banisteria recedere Stylo unico, Filamentis novem aequalibus, et decimo duplò longiore; Calyce eglanduloso, et Pericarpio tetraptero*: sed idem Vir Clar. tres scrotulos, sive Pericarpia descripsit, quae sanè sine trium stylorum aut styli tripartiti aut trifidi, aut saltem sine trium stigmatum, aut unius stigmatis trifidi praesentiâ exsistere neutiquam poterant; et reverâ in planta viva et speciminibus siccis tres styli manifestè apparent. Quod ad Filamentum longius spectat, oculorum vitio, aut planè monstrositate potuit contingere, ut suspicari etiam licet ex glandula carnosa, quam unicam in Calyce descripsit, cùm alibi Calycem eglandulosum sibi ipsi contradicens exposuisset. His rationibus innixi, Genus nostrum *Molina*, in ejusdem nominis naturae Historiographi honorem retinendum, ducimus; neque quidquam impedit, quod nonnulli Botanici ad *Baccharidis* Genus, aliquas *Molinae* species redegerint: ad nostri enim Generis constitutionem illarum nullam adhibuimus: quas tamen ad *Molinam* revocari debere censemus.

Palaviae utramque Speciem à *Malope* Cavanill. à solis tribus foliolis, quae Calycem exteriorem appellat, removit. Exigui quoque momenti nota haec est, cùm utrunque Genus in reliquis fructificationis partibus conveniat, praesertim in pericarpio, quod maximi ponderis est D. L'heritierii, meâque sententiâ ad hoc Genus distinguendum. Exteriora autem

Malvacearum Calycum Foliola mirum quantum numero, et figurâ differant, et veluti bracteolae, seu floralia adminicula magis aut minus persistentia reputanda sunt, quae non parum ad habitum conferunt, sed notam minime tutam ad characterem genericum constituendum praebent. *Palaviae* itaque D. Cavan. *Malopi* Generi adjungendae sunt, et servandum nostrum *Palauae* Genus, ut verè ab Hyperico distinctum, quemadmodum aliàs fusiùs ostendam, posteaquam ad hanc epistolam, prout confido, rescripseris.

Pavoniam sub *Urenae* Genere collocare fas est, nec sub Hibisco. *Urenae* enim Genus, hoc signo † à Linnaeo in plantarum Generibus inustum, reformari debet, et in ipsum *Pavoniae* Cavan. et *Urenae* omnes compingi, nam Calycum laciniae tam harum, quam illarum variant, magis aut minus remotiores à se invicem et profundiores : quae nota cùm plurimas variationes in omnibus *Urenae* et *Pavoniae* speciebus subeat, insufficientissima est ad eas in duo Genera dispescendas, quandoquidem in ceteris fructificationis partibus *Urenae* et *Pavoniae* adamussim quadrant. Vide Urenam Sinicam Dillen. Eltham. pag. 340. tab. 319. f. 412. quae est Urena lobata et prima Species D. Linnaei. Mea itaque *Pavonia*, ut tu ipse rectè sentis, Genus novum legitimè constitutum retinendum est.

A *Malvae* Genere separavit D. Cavanill. eas *Malvae* Species, ex quibus *Ruiziae* Genus conflavit ob calycem exteriorem caducum et stylos decem : at calycis exterioris caduci notam in speciminibus siccis observare ipsum non potuisse, tu Vir Clar. optimè nosti : quae quidem nota, etsi observata esset, minime tamen sufficiens mihi videtur ad *Ruizias* à *Malvis* sejungendas, et multò minus altera illa decem stylorum in plantis siccis observatorum nota; neminem enim Botanicorum latet, *Malvarum* stylum in decem aut plures partes, magis minusve infernè coalitas, findi; quae statim ac Corolla marcescit, cum illâ involutae decidunt remanentibus in germine tot acuminibus quot arilli exsistunt, qui nihil aliud sunt, nisi brevissimi styli à D. Cavanilles in *Konigiarum* Commersonii speciminibus exsiccatis conspecti. Huc animadvertendum accedit, earum unam, vel eodem fatente, se obtinuisse absque flore et fructu, et ex tribus reliquis floridis unam tantùm teneris fructibus praeditam offendisse. Alibi inquit, staminum tubum defuisse, cujus loco urceolus brevis apparebat, qui idem profectò est, ac tubulus magis minusve amplus et longus. Quamobrem ita mihi persuadeo, Botanices ipsos Tyrones *Ruiziam* D. Cavanilles tanquam novum Genus aegrè amplecti posse, ideoque nostri Operis *Ruiziam* retinendam exsistimo; quae ob staminum glandulas et fructum ad tuas *Laurinas* absdubio pertinet. Praeterea quamvis *Konigiae* novum Genus constituere deberent; haud intelligo, quâ de causâ nomen ab inventore impositum, eique gloriam promeritam non conservavit.

Jam vero in universum illud animadverti, in novis scilicet Malvacearum Cavanill. Generibus *Anodâ*, *Palauâ*, *Lagunâ*, *Dombejâ*, *Assoniâ*, *Serrâ*, *Cienfuegosiâ*, *Pavoniâ* et *Ruizia* arillorum *Anodae* dehiscentiae nonnullam differentiam observari, si eas cum *Sidis* comparaveris, quâ tantum notâ tolerari meretûr *Anodae* Genus; quamquam neque Sodalis meus Pavon, neque plures alii Botanici id indulgent; imò D. Cavan. *Anodas Sidae* Species esse mordicus tenent. Cetera verò Genera suis legitimis Generibus restitui debent, prout in mea ad superiorem Epistolam D. Cavan. adversus litteras, quas è Lima scripsi, Responsione ostendi. Non secus ad *Pentapetes* Genus redigere oportet *Broteram ovatam*, quam nuperrimè tanquam novum Genus evulgavit in Operis sui Volum. 5. et ad *Sidae* Genus *Cristariam*, quam eidem Volumini inseruit levissimâ notâ ductus alae membranaceae, in quam Arilli, seu Capsulae desinunt et plurium stylorum numeri. Has ego sodali Pavon in duabus *Cristariae* Speciebus exsiccatis, quas vivas in Peruvia descripsi, et stylos multifidos demonstravi, nempe usque ad medium integros, ut in reliquis *Sidae* speciebus contingit: et licèt D. L'heritierus in sua *Sidâ pterospermâ*, seu *Sida multifidâ* Cavanill. quam deinde *Cristariam* appellat, stylos 10-15 vix coalitos describat, in icone tamen usque ad medium coalitos exhibet, quemadmodum in floribus tum vivis, tum exsiccatis conspiciuntur. Arillorum autem apex membranaceus nihil ad rem facit, nam si haec opinio D. Cavan. valeret, eodem jure plura Genera constituere possemus ex ceteris *Sidae* Speciebus, v. gr. alterum ex iis, quarum arilli in acumina longa, patentia et subulata desinunt, ut Sida vitifolia; alterum ex iis, quae acumine carent et arillos ferunt tuberculatos; tertium Sidae constituerent planos habentes, et scabros; quartum eae, quae illos obtinent obtusos, laeves et divergentes; aliud denique, quae arillos proferunt veluti in pyramidem accretos, &c.

Rarò equidem, Vir clarissime, Botanicum invenire datur, qui grave onus sibi imponat Genera ab aliis stabilita ad trutinam revocandi, atque adeo unus post alium facile transcribit, quae evulgata reperit, et operibus suis inserit, parum curans perniciem ab hac indulgentia, seu potius incuria in Botanicem inductam; quapropter ita judico, ut D. Cavanill. Genera veluti nova Appendici tuae adjici mereantur, oportere te omnia illius Scriptoris Genera sedulo recognoscere; nam meâ quidem aliorumque sententiâ, pleraque illorum haud nova sunt; nonnulla verò jam evulgata sub aliis nominibus deprehenduntur; ex. gr. *Pauletia inermis et aculeata*, quae *Bauhiniae* Species sunt, staminibus monadelphis praeditae : quae quidem anomalia observatur etiam in duabus Speciebus, quas diadelphas memorat Linnaeus post *Bauhiniae* characterem genericum; reliquis enim notis omnibus et habitu cum *Bauhiniis* consentiunt.

Loureira cuneifolia et *glandulosa* ad Genus *Mozinnam* pertinent, antea à Clar. Ortega, in ejus Decadibus, additâ tertiâ Specie, evulgatum.

Arjona, *Quinchamali* aut *Thesii* Species esse videtur; quamquam descriptio adeo imperfecta est, ut nihil asserere ausim.

In *Carmonae* Genere duos tantum Stylos describit, et Drupam unicam monospermam cum nuce sexloculari et totidem seminibus, quod sanè à natura plurimum recedit.

Pomaria glandulosa, *Zuccagnia punctata*, et *Hoffmanseggia falcaria* Species sunt Generis *Larreae*, à praelaudato D. Ortega in Decadibus in lucem proditi. Distribuit certè D. Cavanill. has tres Species in tria Genera, quod prima habeat Legumen parum incurvum et dispermum; altera gibbum et monospermum; tertia denique falcatum et polyspermum, nam ceterae notae differentiales non nisi à varia describendi ratione proficiscuntur, neque differentiam praebent nisi specificam. Tuum denique judicium esto, an hujusmodi characteres sufficere debeant ad tria Genera ex tribus foliis bipinnatis Speciebus condenda?

Argyrotheca bipinnatifida est *Parthenium histerophorum* Nissolii, et Linnaei.

Usteria D. Cavan. cum *Antirrhinis* tuis unicapsularibus cum sulco utrinque omnino genere convenit, neque duas capsulas praesefert, quemadmodum illam descripsit D. Cavanill. in errorem inducens hâc pericarpii notâ botanicum lectorem vel peritissimum, qui plantam vivam non observaverit.

Gynopleura tubulosa eadem Species est cum nostra *Malesherbia*; et quamvis inficiandum non sit, indefessum scriptorem D. Cavan. characteri generico, quoniam pericarpium obtinuit, quod nobis ob figurae et Speciminis sicci in navis Alcantarensis naufragio jacturam defuit, nonnihil adjecisse; nomen tamen à nobis impositum mutare non debuit, nec diversum Genus constituere, praesertim à D. Pavon multo antea admonitus suam plantam nostram *Malesherbiam* esse. Interea ingenuè fatemur, stylos infra apicem esse collocatos, et squamas decem nos ipsos postea numerasse.

Franseria est *Ambrosia frutescens* D. Lamark; quemadmodum *Nocca* Species *Tetranthi.*

Steviae Species ad *Agerati* Genus spectant; earum siquidem differentiam in calyce posuit paucarum squamarum et pappo; at in omnibus Speciebus hujus paleae, seu aristae, et squamarum numerus variant; quin etiam habitus et ceterae fructificationis partes *Agerati* Genus produnt, et *Agerati* similes pappi, in quibus deprehenduntur quoque nonnullae variationes: quibus rationibus permotus D. Ortega *Steviam pedatam, serratam et linearem* D. Cavanill. ad *Ageratum* redegit. Ceterum nota illa corollarum quinquefidarum *Agerati* propria est.

Piqueria quid aliud nisi *Ethulia? Alcinia* nisi *Chrysogonum* admodum simile *Chrys.* Plukenet. Almag. tab. 83. fig. 4. et tab. 142. fig. 3?

Condalia Rhamni Species est, Zizipho congener, et *Ziziphi Myrtoides* nomine in memoratis Decadibus descripta. Atque haec modo sufficiant de Generibus dicta.

Jam verò Species, quas tanquam novas, cùm jam notae essent, evulgat D. Cavanill. quasque ex certis Generibus evulsas in aliis collocavit, adeo multae sunt, ut non facile sit memoria omnes amplecti, atque adeo eas tantum recensebo, quas obiter meminero, cognitasque et perspectas habeo.

Rauvolfia glabra Vallesiae Species est in Reg. Hort. Matrit. culta, et à D. Ortega nomine *Vallesiae cymbaefoliae* antea in lucem edita.

Russelia rotundifolia Dodartiae Species est, non secus ac Galvezia tua.

Calceolaria violacea ad Genus *Jovellana* primi voluminis Florae Per. Specierum referenda est; quod eo magis mirandum venit, quod in proxima icone *Jovellanam triandram* Cavanilles exhibuit, cujus tertium stamen suspicor non aliunde provenisse, nisi ex specimine monstroso. (1)

Convolvulus, quem 2.° volum. tab. 133. fig. 1. triviali nomine *pentapetaloides* edidit, iterato evulgatus est ab ipso postea sub titulo *undulatus.*

Piscidiae puniceae, quam D. Ortega in Decadibus *Æschynomenen miniatam* appellavit, Leguminis quadrangulo-membranacei nota non sat ponderis affert, ut divellatur à Genere, cum cujus Speciebus in ceteris fructificationis notis et habitu convenit.

Embothrium herbaceum est *Embothrium silaifolium* J. Ed. Smith. A Specimen of the Botany of New Holland. Vol. 1. pag. 23. tab. 8. (2)

Millium latifolium est *Paspalum purpureum* Flor. Peruv. et Chil.: *Amyris polygama* est *Schinus dependens* D. Ortega.

Vermifugae, aut *Flaveriae tuae* Species ad *Milleriae* Genus transtulit.

Atropam frutescentem in Genere *Physalidis* collocavit.

Utricularia tenuis, Utricularia aphylla nostra est, quamquam quadruplò minor quàm à nobis in icone repraesentata neque tamen desunt inter nostra nonnulla multò minoris magnitudinis Specimina.

Saracham procumbentem ad Genus *Atropam* revocavit, et eo consilio baccam bilocularem, uti baccam Atropae

(1) Inter plantas nostras siccas etiam *Jovellanae triandrae* Cavan. Specimen unicum possidemus, cujus flores omnes certe triandri sunt.

(2) Cùm D. Pavon, missâ jam Lutetiam Parisiorum hac Epistolâ supra memoratum D. Smith opus denuo mecum evolvisset, ambo in eo consentimus; *Embothrium* scilicet *genianthum* Cavan. esse *Embothrium buxifolium* Smith pag. 29. tab. 10; *Embothrium cytisoides* Cavan. esse *Emb. sericeum* Sm. p. 25. t. 9; *Embot. linearefolium* Cavan. esse *Emb. sericei varietatem* Sm.; *Emb. spathulatum* Cavan. esse *Emb. speciosissimum* Sm. pag. 19. tab. 7.

Belladonae, delineavit, cùm revera unilocularis sit, et semina contineat aliter omnino disposita, quemadmodum pluribus botanicis Reg. Hortum invisentibus, in quo colitur, saepius ostendi.

Rhamnus iguaneus Celtis est epiphylladena D. Ortega (1).

Calceolarias plures, in 1.° Specierum Volum. à nobis in publicam lucem editas, iterum obtrudit ipse, aliis nominibus trivialibus insignitas.

Ad extremum, quotidie evulgat stirpes ab aliis auctoribus cum elegantissimis iconibus jam evulgatas, veluti ex. g. *Dodoneam viscosam* Rumph. Brown. Sloan &c.

Ingenuè quidem fateri oportet, eum, qui ex speciminibus siccis plantas describit, gravibus erroribus maximè obnoxium esse, praesertim cùm adeo frequenter erraverit in plantis vivis, ut ipsi accidit in plerisque earum, quas paulò ante enumeravimus.

Laudo equidem, uti alii merito laudant, assiduum D. Cavanill. studium; sed omnes ejus opiniones probare non possum. Ab ipso itaque invitus dissentio, verùm veritatis amor, scientiae augmenti, utilitatisque publicae studium vel reluctantem me dissentire cogunt: cogent etiam aliquando rem altius repetere, et evulgare *Animadversiones Botanicas in D. Cavanilles Opera*, quas sociis conatibus Pavon et ego jamdiu elucubrare coepimus, et ferme jam ad umbilicum perduximus. Te autem, Vir clarissime, Cavanillesii sententiis, falsis praesertim, ob amicitiam, quae tibi cum ipso interest, subscripturum, aliquem suspicari nimium tibi injurium esset, et Jussieorum in Botanica nomini, quam tot Generum falsorum et Specierum fictitiarum, descriptionumque ineptarum pondere oppressam videmus. Diu sanè optaveram opportunitatem ad te scribendi, quam nactus consuluissem te de dubiis, quae ob librorum penuriam solvere non poteram; quamobrem si ad hanc epistolam pro tua humanitate responderis, litterarum comercium tecum libentissime inibo.

Dubitare interea mihi liceat, Vir clarissime, an scripta, quibus cum D. Cavanilles disceptavi, ad te pervenerint; nam si ea legisses, pro certo habeo, fieri non potuisse, quin hujus auctoris indubitata errata pro tuo acri judicio, et spectatissima in rebus botanicis cognitione animadvertisses, et descriptiones iconibus, satis eleganter alioquin incisis, non respondere; neque has, neque illas exacte plantas vivas repraesentare, recognovisses, quemadmodum ego in plerisque, quas novi, pluries observavi. Dubito etiam, quin evolveris Florae Peruv. Prodromum, Romae recusum, in quo Editor Casparus Xuarez multas annotationes adjecit, quas ego publicae lucis feceram, Prodromum vindicans ab illius adversarii impugnationibus. Cuperem quoque, sedulo perlegas Florae Per. et Chil. Compendii, seu Systematis vegetabilium Volumen 1. et ejusdem Florae Specierum plantarum prima duo Volumina; quae omnia Opera ad Instituti vestri Parisiensis Bibliothecam delata sunt; in quibus videre licet cunctorum nostrorum Generum novorum plusquam ex una Specie constantium habitum, illorumque americanorum jam notorum, simulque illorum Generum novorum descriptiones, quae ex una tantum Specie hactenus conflata sunt, et ad quinque priores Systematis Linnaeani Classes spectant.

Ad rem quoque faciet te, quae sequuntur, non ignorare. Cùm ego de D. Cavanill. injuria questus essem, qui in 3.° Operum suorum volumine, (quo loco Florae Peruvian. Prodromi oppugnationem et ejusdem vindiciarum epistolam adversus judicium, quod ego de suis Generibus in Ephemeridibus litterariis Matritensibus Anonymi cujusdam Auctoris Limensis nomine tuleram, praemisit) responsionem, quâ ego idem vindicias illas refelleram, consultò omiserat; illam in proximo sequenti, quod editurus esset, volumine inserere superiorum jussu ei injunctum fuit: quod ut eluderet, callidum profectò consilium cepit Scripta omnia, quae in nostra controversia interfuerant, in fasciculum vernaculo sermone scriptum compingendi et seorsim evulgandi, in quo sub Annotationum et illustrationum specie tot commenta, et inania adversus me et veteranum Professorem, praeceptoremque meum D. Ortega, convicia consarcinavit, ut cordatorum hominum sibi familiarium nauseam et indignationem provocaverit: de quibus conviciis, deque rationum novarum imbecillitate à communibus amicis admoniti, ab ejus lectione graviter et constanter abstinuimus et abstinebimus, tuo, Vir Clarissime, si unquam illum legeris, et aliorum botanicorum judicio omnino acquiescentes.

Quid tandem sentiam de Dubiis, quae tibi circa nostra Genera suborta sunt, quorumque Catalogum Sodali meo Pavon continuo reddidi, seorsim tibi exponere conabor, ne in infinitum excrescat et tibi fastidium pariat haec prima Epistola; quam si benigne te excepisse cognovero, plures aliae mei erga te studii et observantiae testes eam consequentur. Vale in Botanices decus et ornamentum. Matriti Idibus Januarii anno M.DCCC.

(1) Cùm Jussieo scriberem, addere potui *Linkiam* Cavanilles Volum. 4. p. 61. Embothrii speciem esse; et *Arjonae* p. 57. quae ut dictum est, *Quinchamali* Species videtur, pericarpium tanquam baccam bilocularem descripsisse, quamquam semina se non vidisse fateatur. *Larreas* autem p. 120. cujus omnes Species *Guajaci* Species sunt, impropriè sane descripsit, nam *Fructus* (inquit) *quinque nucibus extrorsum convexis, introrsum acutangulis constat*; et continuo Observationem primam addit: *nucem appellavi hujus generis pericarpium, quoniam durum est et evalve.* In Specie verò, quae in Regio Hort. Botan. Matritensi viget, idem D. Cavanilles asserit, *singulas nuces quinque seminum rudimenta includere*, quod verum est, *sed in speciminibus D. Neè unicum tantùm semen contineri.*

OBSERVATIONES IN RUIZII ET PAVONII FLORAM PERUVIANAM,

quas per D. Cavanilles misit D. Pavonio clar. Antonius Laur. Jussieus, et eorumdem ad singulas observationes Responsa (1).

Gramineae. Huc referuntur *Jarava* et *Torresia*, Genera verè nova, quorum aliud *Cinnae*, aliud *Aegylopi*.

Resp. Rectè. Flores in utraque paniculati.

Asparagi. *Aechmea* confer cum *Philesia* et *Callixene*, ¿an germen superum? an inferum? ¿an Calyx exterior 3-phyllus, habendus pro squamulis pedicelli imbricatis in *Philesia* et *Callixene*?

R. Genus Pourretiae et Bromeliae affine, quare ad Bromeliarum ordinem referendum. Germen inferum, calyce inferiori trifido; aut si mavis squamâ trifidâ: laciniâ tertiâ mucronatâ arctè obvolutum (2).

Herreria, Genus novum affine Dracaenae et Asparago.

R. Genus quamvis fructu capsulari, Dracaenae et Asparago affine. Frutex arundinaceus. Caulis volubili-scandens, aculeatus. Folia fasciculata, radiatim patentia, inaequalia. Pedunculi 1-3 ex eodem puncto ac Folia, longissimi, racemosi, rarius divisi. Pedicelli 3-4ni, graciles, bracteolâ 3fidâ suffulti.

Orchideae. Huc referantur *Rodriguezia*, *Maxillaria*, *Gongora*, *Anguloa*, *Bletia*, *Sobralia*, *Humboldtia*, *Masdevallia*, *Fernandezia*, Genera in vivis tantum examinanda, et ideo admittenda fide auctorum.

R. Plures icones et descriptiones Specierum ceterorum Generum Orchidearum, v. gr. Orchidis, Satyrionis, Epidendri, Vanillae, Cypripedii, Serap. Limodori possidemus: non dubito tamen, quin auctores nonnulli quasdam Species nostrorum Generum in his postremis collocaverint. Genera illa nostra non solum floris partibus à reliquis Orchideis differunt, sed etiam habitu, quem in Systemate Flor. Per. et Chil. invenies.

Elaeagni. *Myoschilos*, Genus novum inter *Elaeagnum* et *Nyssam*.

R. Certè inter Elaeagnum et Nyssam inseri meretur. Frutex flores antequam folia proferens. Folia conferta, sparsa. Spicae aggregatae solitariaeque, breves, in amenti formam. Flores imbricati, squamis ternis disjuncti, plurimi abortivi.

Gimbernatia, Genus idem cum *Chuncoa*.

R. Genus profectò idem cum Chuncoa. Arbores excelsae, frondosissimae. Folia alterna, sparsa. Spicae axillares, laxae, pendulae. Flores bracteis suffulti.

Proteae. *Quadria*, eadem cum *Gevuina* à Molina Chil. malè descripta, Proteis certè adjicienda prope *Brabejum*, à quo parum discrepat; stamina enim laciniis calycinis (Petala Ruiz, Pavon) mediis inserta; quod signum ordini proprium; fructus conformis, sed non villosus; habitus fortè paulò diversus.

R. Genus inter Embothrium et Brabejum; Stamina in laminarum petalorum concavitate. Cùm Petala disjuncta sint, foliola calycina, non calycinae laciniae dici debent. Arbor sempervirens; Folia impari-pinnata; bipinnataque; Racemi axillares, simplices; Pedicelli biflori; Flores plurimi abortivi.

Nyctagines. *Neea*, Germen superum cum fructu infero et seminis sectio in icone expressa Nyctaginis sectionem mentiens, analogiam Generis novi cum Nyctaginibus indicant, an rectè? dubium solvet inspectio seminis.

R. Neeam ad Thymelaearum ordinem referendam existimo, utpote Daphnidi et Gnidiae confinem. Frutices 3-4orgyales. Rami oppositi aut verticillati. Folia simplicia, opposita aut verticillata. Pedunculi axillares aut terminales. Flores corymbosi aut racemosi, subsessiles, bracteolis suffulti.

Lysimachiae. *Mecardonia*: ¿an receptaculum centrale liberum? an Genus affine *Conobeae*?

R. Iconem et exemplaria exsiccata in Navis Divi Petri Alcantarensis naufragio amisimus, quare nihil de capsulae receptaculo dicere possum. Genus magis Calytriplici affine, quàm Conobeae Aubletii, quae planta habitum Mimuli praesefert. Planta herbacea, procumbens; Caulis acutè tetragonus. Folia opposita, sessilia, altero minori; Pedunculi axillares, solitarii, subancipites, uniflori.

Vitices. *Paltoria*: Genus affine Viticibus, sed stylum exceptione singulari, an folia opposita? an flores oppositi corymbosi? an spicati et in spicis alterni?

R. Frutex valde ramosus. Rami confertissimi, subverticillati; Folia sparsa, conferta; Pedunculi axillares, subtriflori, bracteolis minimis ad medium.

Labiatae. *Gardoquia*, aut *Dracocephali* species aut Genus affine; quod in specimine conferendum.

R. Nec Dracocephali Species, nec affinis, ut ex sequenti habitu patet. Plantae suffruticosae, (valde fragrantes); Caules ramosissimi; Rami adpressi, tetragoni; Folia

(1) Clar. Jussieus nonnulla Dubia per eumdem D. Cavanilles D. Pavonio indicaverat; ad quae Ruizius et Pavonius brevibus Annotatiunculis responderant: Jussieus eas se lubenter accepisse rescripsit, novasque expetere, ut vera pateat Generum novorum affinitas, et quodlibet suo loco in ordinibus naturalibus recte collocetur. Addit se plurima suis adjecisse Ordinibus juvante auctorum descriptione et icone, et in eadem serie nunc de singulis disceptaturum.

(2) *Philesia* et *Callixene*, uti etiam nostra *Lapageria* et *Luzuriaga*, certè sunt ex Asparagorum ordine Genera; sed *Aechmea* Genus fructificatione, et toto habitu ad Bromeliarum ordinem absdubio pertinet. Squamulae pedicellorum in *Philesia*, *Callixene*, *Lapageria* et *Luzuriaga* sunt plurimae ad basim illorum alternatim imbricatae; in *Aechmea* verò squamula unica sub germine ab illis distinctissima, in calycis formam convoluta, trifida, mucronata, germen involvens tantummodo reperitur: praeterea illorum Generum habitus ab *Aechmeae* habitu omnino diversus.

opposita, conferta, integerrima, aut leviter serrata; Pedunculi axillares terminalesque, 1-3nique, 1-multiflori, bracteolis ad basim duabus; Calyces Thymi haud absimiles; Corollae incarnatae, Salviis quodammodo similes.

Scrophulariae. *Calytriplex*: Genus fortè novum, *Russeliae* nobis minus cognitae dubitanter adjectum, in sicco conferendum.

R. Genus Cymbariae affine. Russelia Jacq. et Cavanilles ad Dodartiam referenda: Planta herbacea; Caulis repens, teres; Folia opposita, sessilia; Pedunculi axillares, uniflori; Capsulae dissepimentum parallelum; Semina striata, apice puncto notata.

Gomara: *Caprariae* affinis, sed distincta, an dissepimentum valvis parallelum? si contrarium haberetur, Genus accederet Pedicularibus.

R. Differt à Manulea, cui affinis, calyce 5fido; Tubo corollae basi dilatato; Nectario cyathiformi, membranaceo; Staminibus inclusis; Stigmate capitato-peltato, obsolete emarginato: Frutex glaber; Folia opposita, 2-3-palmaria; Racemi terminales, magni, compositi; Pedunculi et Pedicelli bracteolis duabus oppositis stipati.

Sanchezia: forte affinis Besleriae, sed tantum 2-andra, staminibus 2 aliis abortivis, an dissepimentum valvulis parallelum? an folia opposita?

R. Besleriae sine controversia affinis. Dissepimentum parallelum. Plantae orgyales, herbaceae; Caules obtuse tetragoni, erecti, vix divisi; Folia opposita; Spicae terminales; Flores verticillati, involucrati, bracteis totidem coloratis distincti.

Solaneae. *Saracha*: Atropae affinis, sed corolla patentior quasi rotata, bacca 1-locularis (abortu dissepimenti?) seminibus nidulantibus, habitus praeterea similis ut et ceteri characteres.

R. Genus inter Physalidem, Calydermum nostrum et Atropam. Bacca in omnibus Speciebus unilocularis, absque ullo dissepimenti vestigio; absdubio Genus omnino ab Atropa diversum. Semina receptaculo favoso, totidem alveolis inter epidermidem baccae et receptaculi carnosi periphaeriam immersa. Plantae herbaceae (Saracha punctata suffruticosa est), succulentae; Caules erecti vel diffusi aut procumbentes, angulosi, subdichotomi, in plerisque cavi; Folia alterna, solitaria geminaque; Pedunculi interfoliacei, laterales axillares, ex dichotomiis aut terminales, solitarii multiflori, aut aggregati uniflori (in Sar. punctata).

Desfontainia congener videtur Nicandrae, baccâ omnino similis, distincta tamen calycinis laciniis angustissimis, corollâ angustiore subinfundibuliformi, filamentis non dilatatis, an inde discrimen sufficiens? Praeterea nomen delendum, cùm detur jam dudum Fontanesia, Genus orientale à Billardiero exaratum et publici juris factum, in hortis gallicis vivum, Jasmineaeis confine.

R. Genus Lycio magis, quàm ceteris solanaceis cognitis affine, nullo modo Nicandrae aut Calydermo nostro congener; Bacca prorsus dissimilis, 5locularis; Semina numerosa, libera, in 5 loculamentis congestim totidem receptaculis affixa. Bacca Nicandrae aut Calydermi carnoso-fungosa, post maturitatem sicca, favosa: Semina in totidem alveolis dispersa; reliquis fructificationis partibus non minus ac pericarpio à Nicandra distat, quod nomen à Gmelino et Schrebero *Potaliae* Aublet antea accommodatum fuit, ideoque Nicandram Adansonii *Calydermum* diximus ob membranaceam calycis consistentiam, baccam maturam includentis. Et licèt nomen Fontanesiae jam dudum alii Generi orientali à Billardiero impositum fuerit; nostrum tamen Genus Desfontainia eidem Clar. viro dicatum, ut Pittonia et Tournefortia, nullam confusionem, utpote diversimodè sonans, parit.

Juanulloa: Genus forte affine Lycio et Cestro, sed discrepans corolla ad faucem coarctata?

R. Genus Lycio magis affine, quàm Cestro. Frutex parasiticus: Caules plures, dependentes; Rami medullosi, Folia aggregata; Racemi terminales rameique, dependentes, dichotomi.

Polemonia. *Gilia*, an receptaculum 3-gonum in icone expressum, omissum in descriptione valvis medio semiseptiferis angulatim ad septi jugum apponitur, unde affinitas cum Polemoniis? an potius valvularum non septiferarum marginibus angulatim applicatur more convolvulacearum? ceteri characteres minoris sunt momenti.

R. Capsulae Valvulae tres cum septis intermediis loculamenta dividentibus in nostra icone tantum exhibentur, non seminum receptaculum, ut tibi, vir clar., visum fuit. Herba villosiuscula; Caulis teres, parum divisus; Folia alterna, pinnatifida; Flores terminales, capitati.

Periphragmos, idem cum *Cantua*.

R. Cantuae nomen, ut à *Ccantu* nomine barbaro deductum, adoptare nobis non licuit, quod praeterea unicae speciei proprium est, neque hoc ipso nomine *Ccantu* Periphragmon aliarum provinciarum incolae designant.

Bignoniae. *Salpiglossis* forte confinis *Sesami*.

R. Profectò Sesami confinis est. Herba villosa; Caulis erectus, teres; Folia alterna; Flores terminales, paniculati; Pedunculi remoti; Pedicelli uniflori.

Apocyneae. *Vallesia* in descriptione drupae dicuntur 1-spermae, inde affinitas cum *Carissa*, in icone nucleus mentitur congeriem seminum membranaceorum, unde Genus *Camerariae* affinius.

R. Drupae sunt geminae et monospermae; Nux (non Nucleus) striato-reticulata, minime congeriem seminum membranaceorum mentitur. Quamvis Rauvolfiae, Strychni, Vallesiae, Theophrastae Genera &c. Apocyneis sint affinia, an ordinem naturalem fortasse diversum constituunt?

Clavija, Theophrastae congener, licet in Theophrasta non observaverint auctores prisci flores masculos. Svvartius vidit stamina inserta membranae intus vestienti fundum corollae et stigma perforatum et caulem frutescentem, inde perficiendo *Theophrastae* characterem, Clavija deleri debet.

R. In Systemate Flor. Peruv. Observationem sequentem inseruimus: „ Sed cùm posthac Theophrastae charac- „ teris naturalis á Plumiero, Burmanno, Linnaeo et Ant. „ Laur. Jussieo elaborati notas cum Clavijarum nostrarum „ notis diligentiùs contulerimus; eas inter se non convenire „ deprehendimus. Quamobrem easdem plantas etsi habitu „ et nonnullarum fructificationis notarum similitudine pro- „ xime accedant, diversa plane Genera constituere, aut „ characteres, qui à memoratis Auctoribus traduntur, mi- „ nus ritè concinnatos fuisse, contendimus." Frutices polygami, glabri, inermes; Caules simplices, tenues, erecti, teretes; Folia conferta, ferè verticillata, longa, ampla, coriacea, venoso-reticulata, integerrima, plana; Racemi conferti, multiflori.

Sapotae. *Caballeria* eadem cum *Manglilla*? an semen verè farinaceum et arillatum? inde Genus à Sapotis discederet.

R. Absdubio eadem cum Manglilla. Semen profectò farinaceum, non arillatum, cortice tantum exteriore parum carnoso obtectum; Nucleus nudus, quamvis membranâ tenuissimâ ipsi intime adpressâ veluti Juglandis nucleus. In 2.ª Prodromi Observatione sequentem annotationem exposuimus. „ Ceterum americanum nomen *Manglilla*, sub quo „ nomine hoc quidem Genus, à nobis detectum, Jussieus „ evulgavit, non admittendum, Linnaeanis doctrinis Phil. „ Bot. p. 160. innixi, exsistimamus, praeterquamquod nomen „ indicum (*Manglillo*) non omnes Species amplectitur. „ Addendum tamen, quod nomen Manglillo aliis specie- „ bus diversorum Generum Indi tribuunt, et ideo nomen „ Manglilla undique excludendum." Genus absque controversia Sideroxylo confine. Chrysophyllum, Lucuma et Achras, plantae sunt lactescentes, pericarpiis pomiferis, quibus notis Caballeria et Sideroxylum carent.

Nycterisition, illud non Myristicae, sed Myrsini dixi affine, à qua discrepat tamen stylo brevissimo, stigmate 5dentato, et fortè fructûs indole.

R. Arbor, ex qua hoc Genus statuimus, eamdem ac Chrysophylli Cainito speciem esse suspicor; et quamquam fructum non vidi, Icon Chrysophylli Cainito, quam Jacq. pict. tab. 51. exhibet, figuram nostri Nycterisitii repraesentat.

Rhododendra. *Acunna* ¿an discrepat à Befaria?

R. ¿Quisnam nisi Befariam vivam, depictam aut exsiccatam videat, quaestionem definire poterit, cùm Linnaeus aut Mutis baccam, quam nos capsulam septemvalvem exploravimus, nuncupet? praeterea ipsi memorati Botanici calycem minus rectè descripserunt, et antherarum poros, pericarpii receptacula, et columellam heptagonam silentio praetermiserunt.

Ericae. *Stereoxylon*, *Escallonia* prius à nobis adjecta Onagris p. 321. nunc melius observata confinis Vaccinio p. 162. descripta et delineata in Smith fasc. 2. t. 30-31 sibi vindicat forte quasdam Stereoxyli species, dum species aliae prominentiâ instructae conicâ styli basim vaginante Argophyllo affines habentur.

R. Quamvis Stereoxylon Argophyllo Forsteri affine mihi etiam videatur; habitus, corolla polypetala, stamina et capsularum dehiscentia nec Onagris, nec Ericis illud consociare patiuntur.

Cichoraceae. *Moscharia*, Genus novum Andryalae approximandum.

R. Genus certè Andryalae proximum.

Cinarocephalae. *Tessaria* et *Triptilion* Genera nova, posterius confine Nassauviae, nec habitu dissimile.

R. Triptilion Cichoraceis potius, quàm Cynarocephalis respondet; Tessaria Genus Conyzae affine.

Corymbiferae. *Chaetanthera*, *Bacasia*, *Plazia*, Genera nova Barnadesiae et Eranthemo proxima.

R. Barnadesiae quidem et Eranthemo proxima.

Molina. Dioeciam indicat Vahlius in una specie Baccharidis, Michaux eam vidit in omnibus Baccharidibus americanis frutescentibus, ¿an inde signum discriminis generici? Si tamen admitteretur cùm Baccharidibus, praeterea vix discrepat à Conyza, signum illud Baccharidis esset proprium, repulsis ad Conyzam speciebus non dioicis, non ideo Molinae nomen admittetur, jam alteri generi dicatum.

R. Molinae Genus nostrum sanctè servandum est, cùm Molina Cavanilles sit Banisteriae Species, ut in praecedenti Epistola fusius exposui, et in Apologia adversus Cavanilles impugnationem luculenter ut opinor, demonstravi.

Munnozia et *Soliva* et *Galinsoga* Genera nova.

R. Munnozia Amello approximatur. Soliva Melampodio affinis? et Galinsoga Verbesinae confinis.

Vermifuga eadem cum Flaveria Chiloensi.

R. Quamquam Flaveria et Vermifuga ejusdem Generis sint Species, et minime Milleriae Generis, ad quod Cavanilles Flaveriam tuam, Vermifugam nostram et aliam mexicanam minus recte adjecerit, ut in praedicta Apologia patefeci; non sunt eaedem plantae. In tuae Flaveriae charactere generico flores flosculosos et frutices descripsisti, et in tribus supradictis speciebus, quae herbaceae sunt, flosculi et semiflosculi reperiuntur; ideoque rectè Genus diversum exsistimamus. Et fortasse ob tuam sequentem observationem *Genus à Milleria diversum ligulae defectu*, D. Cavanilles, qui semiflosculos aut ligulas observavit, ad Milleriae Genus inconsulto Species retulit?

Sobreyra affinis videtur Tetragonothecae à Dillenio conditae, à Linneo in Polymniam refusae, à L'heritier restitutae, huic tamen ligulae non fauce dentatae.

R. Quamvis calyx communis plantae, ex qua Dillenius Tetragonothecae Genus instituit, sit 4phyllus; ceteri characteres fructificationis et habitus nostrarum Sobreyrae Specierum omnino dissentiunt. Nescio in quo Opere L'heritierius Tetragonothecae Genus restituerit: quod minime etiam ad nostram rem facit, si plantae sunt diversae.

Rubiaceae. *Condalia* congener Coccocipsili fatente Pavonio, et *Nerteria* Gomozia.

R. Nos quoque anno 1798. in System. Flor. Per. et Chil. Condaliae Species sub Coccocipsili Genere evulgavimus.

Nerteria &c. R. Nerteriae nomen, à Clar. Smith adoptatum, nomini Gomoziae praetulimus, ut praestantissimum, et praeterea quia Gomozia pro Gomezia, quod Clar. Mutis plantam D. Casimiro Gomezio Ortegae nuncupans recte manu scripsisse videtur, perperam à Linnaei filii typographo expressum fuerat.

Hippotis, *Gonzalagunia* Genera nova.

R. Genera certè nova ex Rubiaceis.

Ligodisodea inter Paederiam et Coprosmam media, in alterutram fortè referenda.

R. Quamtumlibet nostrum Ligodisodeae Genus ad Pederiae et Coprosmae Genera accedat; ad alterutrum nullatenus redigendum est, quoniam Corollâ, Pistillo, Pericarpio et Seminibus praesertim dissentit.

Araliae. *Gilibertia* à Polyscia discrepat numero, non dispositione loculorum, et est certe aut congener aut confinis.

R. In praedicto Systemate Flor. Peruv. observationem hanc addidimus. „ Gilibertiae Genus recedit à Polysciae „ Genere Forsteri, cui valde affine, primùm calycis struc- „ turâ et insertione, antherarum et seminum figurâ, lo- „ culis pericarpii in stellae formam digestis, et tandem „ foliis simplicibus." Nunc animadvertere oportet, iconem et descriptionem Forsteri cum nostris non convenire: quapropter conjungendum non est Genus rite observatum cum altero dubio, aut minus rectè descripto.

Actinophyllum congener Scyodaphylli Brown. Generis restituendi, et jam à nobis in M.S. restituti.

R. In 2.ª Prodromi Observatione sub Actinophylli charactere diximus: „ Ad hoc Genus redigi debet Scioda- „ phyllum Brown. pag. 190. Tab. 19. fig. 1-2. Anto- „ nius Laur. Jussieus in suo Appendice Gen. plant. addi- „ dit: Confer cum Cussonia Sciodaphyllum Brown. Jam „ pag. 190. Tab. 19. fig. 1-2. Cùm nos characterem „ Sciodaphylli in Brownio inexactè elaboratum offendis- „ semus, hanc speciem sub nostro Actinophylli nomine „ collocare opportunum visum fuit." Character genericus Sciodaphylli Brown. ab eo inexactissimus exhibetur, non solum quia ipse Botanicus Pericarpium et cetera desiderari fatetur; sed etiam quia corollam tubulato-campanulatam, quinquecrenatam, qua nostrum Genus caret, descripsit.

Umbelliferae. *Bowlesia* confinis Bolaci ¿an et congener? Bolax autem et Azorella in unum confunduntur à Gaernero nomine Chamytis (vide obs. nostr. p. 453) cui forte etiam consocianda tum *Bowlesia*, tum *Fragosa*.

R. Bowlesiae Genus quamvis Fragosae Generi affine, habitu et fructificationis partibus diversum profectò est.

Fragosa &c. R. Fragosa cum Bolace et Azorella non parum congruit, ideoque haec tria Genera in unum fortasse conjungenda; quod rectius facere poterit, qui plantas vivas aut siccas invicem comparaverit.

Sapindi. *Semarillaria* huic ordini videtur consocianda, affinis Paulliniae, sed fructus paululum diversa.

R. Semarillariae nostrae, quia tantum à Paulliniis fructibus differunt, eidem ordini consociari debent.

Acladodea in plurimis affinis Talisiae, cui denuò observatione à D. Richard calyx non 5partitus, sed 5fidus, squamulae petalorum pilosae, antherae oblongae, caulis frutescens. Squamulae eaedem sunt cum nectario Acladodeae, cui tamen praeterea adduntur flores masculi, intus 8glandulosi.

R. Detectio feminearum Acladodeae fructificationis partium discrimen elucidare poterit. Quamvis Talisia Aublet arbuscula sit ramosa, foliis foliolisque alternis, et Acladodea sit arbor absque ramis, et folia proferat ad apicem trunci confertissima, foliolis oppositis: flores in racemos paniculatos, et folia pinnata affinitatem non paucam inter haec duo Genera ostendunt. Floris partium figura et descriptio, quas Aubletius dedit, hermaphroditos femineos flores fortasse exprimunt? Attamen nihil de glandulis refert, quapropter ad litem definiendam necesse est, examen in plantis vivis aut exsiccatis iterare.

Hyperica. *Palaua*, Hyperici Genus in plura forte dividendum ratione numeri stylorum, et tunc species 5-stylae Genus novum constituunt, verum Ascyrum Tournefort: huic accedit Palaua discrepans petalis basi intus villosis et filamentis basi non polyadelphis, sed tantum 5-adelphis et caule saepius arboreo, cui consocianda Hyperica arborea Aublet Guyan. = Palauae nomen jam concessum Generi malvaceo, cui calyx simplex, dum Malope confini calyx calyculatus.

R. Genus nostrum Palauae à ceteris Generibus Hyperici affinibus differre dubitandum non est, et praeterea non confundi debet cum Hypericis arboreis Aubletii, quae species ad Vismiae Genus Vandellii pertinent, ut in memorato System. Flor. Peruv. innuimus. Palauae Species, ex quibus D. Cavanilles Genus suum Palavam statuit, ad Malope Genus redigendae sunt, quod in mea Epistola fusius tibi expono.

Gerania. *Rhynchotheca* Genus dictum Thalictro proximum, sed fructus constans à basi ad apicem 5-capsulari, ut in Geraniis, ¿an ideo his proprius, licèt apetalum, ¿an habitu confirmata analogia? an folia alterna et stipulacea, ¿an Petala caduca?

R. Pericarpii dehiscentia Rhinchothecam quodammodo ad Geraniorum ordinem retulit, ceteri autem characteres ab eo removent. Folia nec sunt alterna, nec stipulacea, nec Petala ulla inveniuntur in floribus clausis, nec explicatis. Frutex est biulnaris, ramosissimus, spinosus: Rami et Spinae brachiatae, tetrangulares: Spinae axillares, foliosae, ad basim vaginâ membranaceâ persistenti amplexatae: Folia opposita, integerrima; nonnulla 2-3fida: terminalia, quaterna aut plura: Pedunculi totidem, terminales, uniflori: Flores nutantes: Calycina foliola acumine rostrato, colorata.

Malvaceae. *Cavanillesia* Genus verè novum et verè malvaceum, ideo tamen non monospermum, nisi abortu, sed potius 5permum seminibus 5 abortivis, ¿an servandum nomen jam aliis adjectum Generibus? Lamarck

in dic. encycl. Cavanilleam dixit genus affine Dyospiro et nunc fortasse delendum. Thumberg in dissertat. 1792 eodem nomine inscripsit Genus aliud dioicum apetalum fruticans à Cap. bon. spei allatum.

R. Cavanillesiam nostram fateris novum Genus malvaceum esse, atque adeo Scriptoris de Malvaceis memoriam retineri debere dubitandum non est; nam vel ipso D. Cavanilles ita sentiente nova videntur non esse duo alia Genera, quae nomini ejus ab aliis dicata sunt. Opera equidem, quae illa continent, non evolvi; quamobrem an nova verè sint, necne, asserere non ausim. Ceterum Cavanillesiae Fructus membranosus est, 4-5 et nonnunquam 3-alatus, unilocularis, monospermus absque ullo vestigio seu rudimento aliorum seminum, veluti patefit in tenerioribus germinibus: figura autem et supradicti fructûs substantia simillima est Ulmi et Gimbernatiae, seu Chuncoae tuae pericarpio, cujus descriptionem genericam et specificam Sodali meo Pavon ab Andium montibus Limam misi unà cum altera Specie in Galliam socio nostro Dombejo mittenda, cui illud Genus inscripseramus, quod tu, vir Clar. sodali meo Pavon tanquam inventori tribuisti et Chuncoa nomen imposuisti à nomine Chunchu mutuatum, quo Indi unam tantum ex duabus Speciebus appellant.

Magnoliae. *Galvezia* inter Ochnam et Quassiam media.

R. Hoc Genus inter Porlieriae, Guajaci, Sapindi, Ochnae et Quassiae Genera interponendum est. Arbor fragrans, sempervirens: Rami conferti, verticillato-terni, teretes: Folia terna, pellucido-punctata: Racemi axillares: Pedicelli triflori, bracteolis suffulti; inferiores duo oppositi; reliqui verticillato-terni.

Porlieria referendum Quassiae Genus, cui consocianda quaedam Genera Aubletii, pariter in interiori filamentorum basi squamulosa et 3-6gyna, 3-6capsularia, licet sint hermaphrodita: monoeciae enim Quassiae habetur à partium abortu. Porlieria huc etiam compellenda videtur utpote pariter in filamentis squamulosa et discrepans tantum numero partium quaternario, non quinario: quod quidem leve signum, cùm in aliis interdum 5.ª pars demitur, sed asserit D. Pavon Porlieriam esse similem Guajaco, non Quassiae. Litem dirimet inspectio plantae.

R. Quantumvis Genus *Quassiae* affine, differt tamen, quod Squamae ad interiorem filamentorum Quassiae basim aliter sitae sint ac Porlieriae Squamae, quae cum stamine corpus trifidum formant instar nonnullorum Ornithogalorum Staminum; qua de causa in M. S. meis filamenta trifida descripsi; sed cùm postea exsistimassem magis perspicuam rem fore, si squamae nomen filamenti parti inferiori et longiori inderetur, hinc Squamae hujusmodi eaedem cum Quassiae Squamis tibi visae sunt, etsi reverâ situ et figurâ diversissimae sint. Verum quamvis simillimae essent; nonne ad separandam Porlieriam à Quassia sufficeret receptaculi carnosi et orbiculati praesentia in Quassia, quo caret Porlieria? Adde Pericarpia remota et bivalvia in Quassia, in Porlieria Drupas coalitas et evalves: quae duae notae ad Generis constitutionem valere deberent, etsi reliquae fructificationis partes, prout non omnes conveniunt, convenirent. Ad Guajacum absdubio plusquam ad alia Genera, proxime accedit: habitus quoque non parum similis est, quemadmodum in observationum Catalogo exposuimus, quem sodalis meus per D. Cavanilles tibi mittendum curavit.

Annonae. *Porcelia*, Loureiro in Flora Cochinchinensi suum Melodorum dicit 1ogynum baccis totidem ovato-oblongis, 1-locularibus, polyspermis, seminibus nidulantibus, praeterea calyce, corollâ et staminibus Uvariae consimile, ¿an potius ejusdem congener habendum ampliato Uvariae Charactere? an idem de Porcelia, quae Melodoro valde affinis?

R. Ex observatione Loureiri nihil, quod ad discriminis illustrationem nos ducat, elicere possumus (1).

Guatteria: congener videtur Canangae.

R. Guatteriam affinitatem cum Cananga Aublet habere dubium non est, sed icones et descriptiones Aubletii, ut in Prodromo indicavimus, nostris non quadrant; qua de causa Guatteriae Genus servandum judico. Partes florum Annonae, Uvariae, Porceliae, Canangae et Guatteriae vix inter se dissentiunt: Pericarpia tantùm haec Genera distinguunt.

Menisperma. *Lardizabala*: Genus novum Menispermum, et Leaebae proximum.

R. Hoc Genus ad Menisperma certò pertinere videtur.

Chondodendron: videtur Epibaterii congener mutato partium nomine.

R. Hoc Genus fortasse ad Epibaterii Genus referri meretur: utraque quidem planta scandens est; sed icon et descriptio Forsteri cum Chondodendri floris masculi partibus vix congruunt, quare nihil asserere potero, donec flores femineos videre contingat.

Tiliaceae. *Lettsomia*, Genus dubie Tiliaceis adjectum ¿an petala et stamina hypogyna? an corculum perispermo inclusum, ¿an frutices alternifolii et stipulacei?

R. Petala et stamina receptaculo sunt inserta, sive hypogyna. Bacca 3-5-locularis, subcoriacea. Dissepimenta membranacea, quibus angulis receptacula parum carnosa, subrotunda adnata sunt, ad quae semina nuda, minima, granulata, duriuscula suis propriis pedicellis longiusculis inseruntur. Frutices ramosi: Rami teretes, flexuosi, granulati, tomentoso-lanuginosi: Folia alterna, simplicia, tomentoso-lanata aut sericea, utrinque veluti lineata: Petioli contorti: Flores axillares, 4ni-5ni.

Tricuspidaria: Patagua Chiloensium: Genus Tiliaceum discrepans à Crinodendro Molina Chil. similiter Patagua dicto.

R. Genus Crinodendro certe affine. In memorato Flor. Peruv. et Chil. Systemate sub Tricuspidariae descriptione

(1) Fructus Uvariae zeylanicae, quos possidemus, omnino à Porceliae fructibus dissentiunt; ideoque haec duo Genera non sunt consocianda.

gittatae). *Styli* infra apicem germinis orbiculatim affixi. *Stigmata* capitata, depressa. Capsula apice trivalvis. Semina affixa receptaculis tribus linearibus, per valvularum parietes decurrentibus.

URTICAE: *Mollinedia*, Genus affine Dorsteniae, Hedycariae et Perebeae, cujus organum, calyx dictum, verius est involucrum multiflorum, et monoicum floribus masculis et femineis promiscuè appressis, singulis fortè calyce instructis proprio cum calycibus vicinis concreto.

R. Ad Annonarum ordinem hoc Genus referri debet, cùm Genitalia, Pericarpia et Semina Guatteriae, Porceliae, Canangae, Uvariae et hujusce Generis prorsus consimilia sint. *Dorstenia* et *Perebea* involucro multifloro gaudent. Mollinedia ab Annonis structurâ Calycis et floribus apetalis tantummodo discrepat, in ceteris cum illis convenit. *Hedycariae* Genus minime etiam ad Urticarum ordinem redigendum opinor.

Polyphema: videtur congener Artocarpi, distincta tantum spathâ monophyllâ calycem masculum supplente, et receptaculo carnoso turbinato filamenti staminei basim ambiente.

R. Neque nostrum est Genus, neque illud novi.

Olmedia: Affinis Brosimo Swartzii, et Elatostemati, confinibusque, Genus cum iisdem recognoscendum et fortè omnia haec in unum compellenda reformato et ampliato charactere.

R. Swartzii Opera nondum obtinui; ideoque de Brosimo nihil dicere possum. Elatostema Forsteri cum Olmedia convenit solum filamentis elasticè prosilientibus, veluti pleraque Urticarum Genera.

Peperomia: Affinis Piperi, sed flosculorum squamulis orbata.

R. Differentia, quâ à Pipere dissentit, in squamulis carnosis non consistit, sed in stigmate simplici, quod est punctum, sive macula absque stylo in apice germinis; praeterea in habitu sequenti: Herbae carnosae: Caules aut Scapi enodes, erecti, scandentes aut repentes: Folia aut radicalia aggregata, aut caulina alterna, solitaria, vel verticillata: Spicae axillares terminalesque, vel ad basim foliorum, sive in scapo solitariae, geminae, aggregatae aut paniculatae. Color ruber in omnibus speciebus frequens; post exsiccationem roseo colore papyrum tingunt. Habitus Peperomiarum scutellaefoliae, crystallinae, foliiferae, umbilicatae, secundae, et insertio flosculorum à reliquis speciebus differunt, et fortassè Genus diversum constituere debent.

Clarisia: media inter Piper et Gnetum, et huic praecipuè confinis, ita forsan ut posthac mutato charactere fierent congeneres, hisque adderetur Thoa Aublet. et Abutua Loureiro Conch. et fortè Hedyosmum Swartzii: inquirendum an drupa Clarisiae sit sub cortice setosa pungens, ut in Thoa, an nux sit striata ut in Gneto et Abutua?

R. Neque cum *Thoa* Aublet, neque cum *Gnemone* Rhumphii convenit, ideoque nec cum *Gneto*, quamvis in eodem ordine collocari mereatur. Drupa ferè exsucca, nuda, glabra. Nux ossea, laevis: Nucleus in duos cotyledones fissilis. = Arbores. 40-60-ulnares, frondosissimae, undequaque incisae succum lacteum abundè effundentes, qui aëri expositus in resinam compactam, parum elasticam, albo-fuscam, inodoram condensatur. Truncus crassissimus: Folia alterna, coriacea, oblonga, acuminata: Flores masculi et feminei racemosi in Clar. racemosa, Amentis et Floribus femineis binis: In Clar. biflora Flores feminei axillares, gemini, breviter pedunculati; masculi desiderantur.

GENERA INCERTAE SEDIS. MONOPETALI GERMINE SUPERO. *Sarmienta*: Capsula 1-locularis, circumscissa seminibus receptaculo carnoso insertis, indicat analogiam, non cum Schwenckia, sed cum Lysimachiis. An tamen stamina laciniis corollae opposita, ut in Lysimachiis? horum tria sterilia ad Schwenckiam collimant.

R. Quamvis stamina ad Schwenckiam collimant, ceteri characteres et habitus cum Lysimachiis consociant. Herba arbores radicando scandit, et magnopere diffunditur: Caulis ramosissimus, teres: Rami dependentes: Folia opposita, carnosa, avenia, utrinque minutim punctata: Pedunculi terminales, 1-2-flori: Bracteolae duae sub singulo calyce.

Schizanthus, Fabiana, Nierembergia, Xuarezia. Situs dissepimenti valvis paralleli aut oppositi indicabit ordinem, cui consocianda haec Genera planè ignota.

R Valvulae capsularum *Schizanthi* concavae, bifidae, intus nudae. Receptaculum centrale utrinque seminiferum, dissepimenti paralleli vicem supplens, ad Scrophulariarum ordinem hoc Genus amandant. Herba villosa, villis longioribus glandulâ terminatis: Caulis teres: Folia alterna, interruptè pinnata: Flores paniculati: Pedicelli bracteolis suffulti.

Fabiana &c. R. Capsula bilocularis, leviter bisulca, bivalvis: valvulis bifidis, margine introflexis dissepimentum parallelum conficientibus: Receptaculum utrinque liberum. Pericarpio Caprariae affinis.

Nierembergia &c. R. Herba repens: Caulis teres, stolonifer: Folia sex, vel plura ex singulo geniculo. Adde characteri generico naturali Filamenta nectario tubuloso membranaceo, ex fauce corollae orto: Antherae erectae, oblongiusculae, biloculares: Capsula bilocularis, apice bivalvis; valvulis introflexis, dissepimentum conficientibus; Receptaculum utrinque centrale, seminiferum.

Xuarezia &c. R. Capsula bilocularis, bisulca, bivalvis: valvulis apice bifidis, margine introflexis, dissepimentum parallelum conficientibus: Receptaculum utrinque liberum, oblongum. Xuarezia Pericarpio affinis est Caprariae.

Aldea: An affinis Boragineis et Ellisiae? an folia alterna?

R. Cum Boragineis consocianda, et Phaceliae, quàm Ellisiae affinior: Herba pubescens: Folia alterna, pinnata. Flores spicati, secundi: Spicae apice revolutae: Stylus longitudine corollae; Stigmata duo, duplo longiora: Capsula unilocularis, bivalvis, disperma: valvulis longitudinaliter septiferis: Semina septis affixa.

Navarretia : An affinis Lysimachiis? an stamina corollae laciniis opposita?

R. Inter Polemonia collocanda, cùm sit Phlox affinis, quamvis capsula tantum bilocularis ¿valvulis septiferis? Iconem et exemplaria sicca in naufragio amisimus.

Sessea : An Capsula verè unilocularis? quis situs receptaculi et valvularum?

R. Hoc Genus differt à Cestro pericarpio capsulari et seminibus. Capsula verè unilocularis : Receptaculum liberum, lanceolatum, compressum, marginem valvularum ferè attingens, unde Capsula quasi bilocularis : Semina receptaculo utrinque affixa.

Baitaria : An affinis Portulaceis?

R. Planta acaulis : Radix fusiformis, fibrillosa : Squamae supra radicem numerosae in fasciculum, Nardi spicam aemulantem, imbricatae : Folia procumbentia, in stellae formam, sessilia, lineari-lanceolata, inaequalia : Pedunculi axillares, solitarii, plurimi in planta, uniflori, breves, compressi, infernè attenuati : Stamina 18, aliquando 14-19. Portulaceis affinis esse videtur.

Eccremocarpus : An affinis Besleriae?

R. Ad Bignonias referri debet : Suffrutices scandentes: Caules ramosissimi, dichotomi, aut brachiati : Folia opposita, bijuga, cirrhosa ; pinnae oppositae, pinnatae bipinnataeque; Foliola alterna, Cirrhi dichotomi, spirales : Racemi oppositifolii, multiflori.

Escobedia : An affinis Pedicularibus?

R. Inter Pedicularis inserenda. Herba villosa, scabriuscula : Radix fasciculata, longissima, croceo-tinctoria. Caules plures, bipedales, superne tetragono-sulcati : Folia opposita, sessilia, utrinque scabra, venoso-nervosa, serrata: Pedunculi axillares, solitarii, contorti, uniflori : Bracteolae duae sub calyce.

Virgularia : An affinis Caprariae?

R. Associanda Scrophulariis, ut Digitali affinis. Plantae suffruticosae : Caules erecti : Rami plurimi, virgati, tetragoni, Folia opposita : Flores axillares, solitarii.

Monopetali germine infero. *Columellia* : An ex icone germen non inferum, sed superum ; capsula non infera, sed cincta tubo calycino, et quaedam cum Filace affinitas? an receptaculum mediis valvis continuum?

R. Germen verè inferum, sed cùm cortex valvularum capsulae post exsiccationem et dehiscentiam à valvulis internis callosis sponte secedat, valvulas duplicatas diximus, quarum exteriores nihil aliud sunt nisi proprius capsulae cortex, qui ad calycem usque extenditur. Valvulae capsularum, quoniam margines introflexos habent, dissepimentum parallelum conficiunt, et cymbaeformi figurâ gaudent. Receptaculum utrinque oblongum, liberum, cujus interiori parti semina adnectuntur. Ex dictis patet, hoc Genus ad Jasminearum ordinem pertinere.

Polypetali germine supero. *Riqueuria* : An affinis Caryophylleis? an corculum typo farinaceo circumpositum? an folia ut in caryophyllaeis opposita, quorum superiora brevia, connata, flori appressa calyces exteriores mentiuntur?

R. Cùm Iconem et specimina exsiccata in memorato naufragio amiserimus ; nihil dubiis tuis respondere possum; sed tamen memoria teneo, hoc Genus ob flores racemosos, folia avenia et calycem imbricatum ad Clusiae Genus accedere, quare in Guttiferarum ordinem inseri meretur.

Huertea, *Haenckea*, *Cerdana*, *Tovaria* : cognitis ordinibus non approximandae, nisi character amplificetur, additis etiam characteribus extrafloralibus.

R. Huertea: Hoc Genus ad Rhamnorum ordinem pertinere videtur. Arbor procera, frondosa : Rami teneri, striati: Folia sparsa, pedalia et ultra, impari-pinnata; foliolis intimis minoribus, serraturis ferè glandulosis : Glandulae duae ad basim foliolorum parium, et duae ad basim singuli folii, subulatae, caducae : Racemi axillares terminalesque, magni, compositi : Pedunculi multiflori : Pedicelli bracteolis stipati : Flores parvi.

Haenckea &c. R. Plantam, ex qua hoc Genus confecimus, ad Celastri Genus, uti etiam Maytenum Molinae, retulimus, et Haenckeae nomen alii Generi destinavimus, cujus generica descriptio sequens est. *Cal. Perianthium* nullum, nisi squamas duas infra germen dicas : exteriori angustiori, ovatâ, alterâ bilobâ : lobis ovatis, obtusiusculis. *Corolla* supera, tubuloso-urceolata : *Tubus* cylindraceus : *Limbus* 5-partitus; laciniis acutis, revolutis, ad antherarum insertionem villosis. *Filamenta* nulla. *Antherae* 5, sessiles, fauci corollae infra lacinias affixae, ovatae, basi leviter emarginatae, trisulcae, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscentes ; ex insertione harum nervi quinque ad basim corollae decurrentes. *Germen* inferum, obverse conicum, coronatum corpore fungoso, superne 10-radiato, inferne 5-sulcato : *Stylus* corollae tubi longitudine trisulcus : *Stigma* trigonum. *Drupa* turbinata, monosperma. *Nux* obovata, bilocularis : Nuclei obovati. Plures tetrandri reperiuntur flores, quorum corolla 4-fida, stylus bisulcus, stigma digonum. *Frutex* triulnaris : caulis teres : *Rami* flexuosi; teneri subangulati : *Folia* alterna, simplicia, integerrima : *Petioli* contorti : Racemi axillares, solitarii geminique, simplices: Flores breviter pedicellati, bracteis minimis, solitariis stipati.

Cerdana &c. R. Ex charactere generico naturali Cerdanae, quem in praedicto Syst. reformatum dedimus, inter Borragineas collocanda Cerdana mihi videtur, quod character differentialis sequens demonstrat : *Calyx* tubulosus, decemstriatus, 5-dentatus, inferus, persistens : *Corolla* infundibuliformis, limbo 5-partito : *Nectarium* cyathiforme, crenatum, germen ambiens: *Stamina* fauci corollae inserta: *Stigmata* duo, bipartita: Pericarpium tetraspermum. Cùm Pericarpium adhuc tenerum offendissemus, ejus speciem determinare nobis non licuit. Germen parum adultum, Drupam nuce quadriloculari praeditam indicat. Arbor 40-ulnaris, frondosa, glabra : Truncus cinereus ; Rami teneri obscurè virides: Folia alterna, integerrima : Racemi terminales, maximi, decompositi, ferè paniculati.

Tovaria &c. R. Genus Trientali proximum. Herba biulnaris, glabra : Caulis erectus, teres, ramosus : Folia alterna, ternata; foliola integerrima : Petioli sulcati : Stipulae minimae, caducae : Racemi terminales, longissimi, simpli-

ces, declinati, in fructu dependentes : Flores longè pedicellati, remoti, secundi.

Godoya : Genus affine hinc Ochnae similiter staminiferae, sed fructu diversissimae, inde potius guttiferis et praecipuè Marilae, similiter ferè fructiferae.

R. Genus Capparidi quodammodo affine, cujus ordini inserendum judico : minimè inter Ochnas et Guttiferas enumerari debet. Arbores procerae, frondosae : Rami teretes, infernè nudi, supernè granulosi, anularibus cicatriculis approximatis : Folia sparsa, sessilia, coriâcea, tuberculis insidentia : Bracteae gemmarum caducae, altera alteram amplexante : Racemi terminales, multiflori : Flores solitarii, bini ternique.

Cuellaria : Genus ericoideum. Valvae in icone pinguntur medio septiferae more Ericarum, signum illud essentiale, secernens Ericas à Melodendris omittitur in descriptione.

R. Genus profecto Ericoideum, et Clethrae Generi proximum. Valvulae sunt medio septiferae.

Gomortega : Genus laurinum, et ideo apetalum, calycatum petalis in calycem immutatis : affinitatem confirmant staminum structura et unitas styli, informet numerus staminum an Nux verè 2-3locularis, 2-3sperma? an potius ut in Agathophyllo Genere similiter laurino, nux monosperma, infra 2-3loba, lobis in semiloculos immersis?

R. Genus sine controversia inter Laurina collocandum. *Nux* proculdubio 2-3-locularis, 2-3nucleis, Agathophylli, quamvis etiam Genus Laurinum sit, Nuci minimè respondet. Arbores excelsae, frondosissimae, fragrantes, sempervirentes ; Rami teretes : Folia opposita, nitidissima: Petioli subcontorti : Pedunculi axillares terminalesque, racemosi, 3-9-flori : Flores bracteolis duabus ante explicationem tecti: Nux durissima, ferè solida: Nuclei compressi.

Aextoxicon, *Ruizia*, *Izquierdia* : Genera nova aliis cognitis non approximanda. Ruiziae nomen mutandum, cùm aliud habeatur similiter inscriptum anterius, optimumque, atque ideo servandum. (1)

R. Genus *Aextoxicon* inter Sapotas reponendum censeo: Arbor procera, sempervirens: Rami teretes; teneri angulosi: Folia opposita, rarissimè alterna, integerrima, marginibus reflexis, ferrugineis punctis maculata : Pedunculi axillares terminalesque, 3 4-ni, vel plures, racemosi : Pedicelli bracteolis minimis suffulti. Genus Sideroxylo et Caballeriae affinius, quàm reliquis Sapotis.

Ruizia &c. R. Genus, veniâ tuâ, vir clar. servari dignum, ut in Epistola dixi. Arbor decemulnaris et ultra, sempervirens, aromatica, fragrans, comâ frondosissimâ, densâ : Rami teretes, teneri obtuse 4-gulares, granulosi : Folia opposita, confertissima, coriacea, punctato papillosa ; pilis in stellae formam : Racemi axillares terminalesque, cernui, trifido-multifidi : Flores bracteolâ minimâ stipati, in planta mascula numerosi.

Izquierdia &c. R. Arbor 6-orgyalis: Rami teretes: Folia alterna, simplicia : Pedunculi ex axillarum cicatriculis à foliorum delapsu relictis, aggregati, subcymosi, breves : Flores subumbellati, breviter pedicellati, bracteolis subulatis stipati. Ex habitu tibi facilius erit ordinem discernere. An inter Vitices associanda?

APETALAE HERMAPHRODITAE GERMIME SUPERO. *Heteranthera*: species fortè Pontederiae Generis reformandi utpote complectentis germina infera et supera, species 3-andras et alias 6-andras : jam D. Beauvois, botanicus viator gallicus peragrans americam septemtrionalem Genus simile descripsit nomine Heterandrae, et in Actis philadelphicis publici juris fecit.

R. An Pontederiae Genus in duo dividendum? Aliud ex speciebus germine supero et floribus triandris ; alterum ex speciebus germine supero et floribus hexandris? Quamquam habitus sit confinis. Si D. Beauvois ante nos Genus simile Heterandrae nomine evulgavit ; jure praeferendum est ; contra nostrum servandum, dummodo à Pontederiae Genere differat. Quamvis Pontederia ovata Linnaei, sive Narukila Rheed. Mal. 11. tab. 34 ob florum insertionem cum ceteris plantis sub Pontederiae Genere insertis affinitatem habeat; habitu, et florum figurâ Marantae speciem indicat. Pontederia hastata Linn. aut Carimbola Rheed. Mal. 11. pag. 91. t. 44. habitu, non floribus cum Heteranthera convenit. Sloan in Pontederia limosa nullam fructificationem exhibet, sed illius habitus cum Heteranthera congruit.

Gumillea : Saxifragis affinis, sed apetala. An stamina calyci inserta? sic in icone exprimuntur.

R. Genus pericarpio Saxifragis affine : Stamina receptaculo inserta, germen ambientia. Antherae subincumbentes, biloculares. Frutex biorgyalis : Rami teretes : Folia alterna, impari-pinnata. Stipulae subreniformes, magnae, reflexae, sessiles: Racemi spicati, penduli, terminales: Flores congesti, sessiles.

Cervantesia : affinis Thymelaeis aut Lauris, si perispermum in semine nullum ; Polygoneis, si perispermum farinaceum et folia basi vaginantia, juniora revoluta; Atriplicibus, si perispermum idem et folia non vaginantia.

R. In Cervantesiae Genere corrige sequentes notas: *Calyx* adultus infra lacinias appendiculatus : *Squamae* infra incisuras insertae : *Stamina* ad basim laciniarum calycis affixa ; *Filamenta* subulata, plana ; *Antherae* subincumbentes, biloculares ; *Germen* fundo calycis semimmersum, quod nisi germen adultum sit, non discernitur: *Nux* seminfera : *Nucleus* nudus absque perispermo. An Thymelaeis circa Lagettae Genus consociandum? Arbor triorgyalis: Rami tortuosi, subflexuosi ; teneri lanuginosi, ferruginei: Folia alterna, oblongo-linearia, marginibus reflexis, supra nitida : Racemi axillares terminalesque, flexuosi : Flores sessiles, congesti : Fructus pendulus. Icon et descriptio, quas hujus plantae D. Cavanilles in V. Volumine dedit, valde imperfectae sunt.

Azara : affinis et fortè congener Anavingae, ut et *Chaetocrater* atque *Abatia* et signa Generis praecipua

(1) *Ruizias* Cavanill. Generis *Malvae* Species absdubio esse constat.

consistunt in calyce partito , corollâ nullâ, staminibus numero definitis , filamentis totidem sterilibus interjectis, stylo simplici , fructu coriaceo aut subbaccato , 1-loculari, saepius 3-valvi, polyspermo, ad parietes seminifero , caule frutescente aut subarboreo , foliis alternis , floribus saepius axillaribus plurimis ; et jam plura hùc compelluntur alia auctorum Genera (gen. nost. p. 418) quibus addenda Pitumba Aublet.

R. Azara: Genus Prockiae affine. Arbuscula aut Frutices ramosissimi , comâ subglobosâ : Rami alterni , sparsi, patentes, teretes, solidi: Folia sparsa, ad caelum spectantia, gemina; altero minori, subrotundo: Stipulae minimae, caducae: Pedunculi breves , interfoliacei et axillares, 3-20-flori : Flores umbellato-corymbosi , aut in brevibus spicis, bracteolis minimis stipati.

R. Chaetocrater: In Syst. Flor. Per. Observationem sequentem adjecimus: » Hoc Genus à Guidonia Plumier, Ca» searia Jacq. Samyda Linn. et Anavinga Rheed. et Lamarck, » quibus affine , differt calyce absque tubo ; nectario cra» teriformi , setis decem filiformibus ; stigmatibus tribus, » rudimento pericarpii internè exsucco. Pericarpium matu» rum Genus elucidare poterit. Ant. Laur. Jussieus ipse, » qui ad Anavingae Genus Caseariae, Samydae et Guido» niae Genera retulit , Anavingae characterem in vivis » iterum recognoscendum admonet." Arbores quadriorgyales , comâ frondosâ : Rami teretes , granulosi ; teneri subangulati : Folia alterna , ad basim venarum pubescentia, punctato-pellucida : Petioli contorti : Stipulae subulatae, deciduae : Flores axillares , numerosi , in fasciculum congesti : Pedicelli brevissimi, graciles, medio articulati, squamis minimis distincti.

R. Abatia: Omnino á Chaetocrateris Genere distat, confinis profecto Azarae , sed ab ea differt pericarpio capsulari praesertim, et multò magis habitu. Frutices 2-3-orgyales: Rami brachiati , virgati, medullosi , ad articulationes compressi , lanuginosi : Folia opposita , solitaria , rugosa , lanuginosa: Petioli subtus trinerves , nervis per caulem decurrentibus: Racemi terminales , simplices , pedales et ultra , subspicati : Pedicelli confertissimi , tenues , bracteolis minimis deciduis sustentati.

Brunellia : affinis forte , non congener Coriariae , an potius Genus polypetalum glandulis in petala conversis, et tunc affine Tetracerae aut Cnesti, ¿an folia alterna? ¿an simplicia aut composita? an aspera?

R. Genus Illicio affine , ideoque ad Magnolias reducenda. Arbores 6-20-ulnares , inermes aut aculeati : Rami teretes : Folia alterna, aut opposita , impari aut abrupte-pinnata ; foliola opposita alternaque : Stipulae parvae, caducae : Racemi axillares terminalesque, compositi: Flores conferti aut congesti, sessiles aut vix pedicellati , bracteolis minimis stipati.

Alzatea , Verticillaria, Nunnezharia: Genera Ordinibus aut Generibus cognitis non accommodanda, nisi character amplificetur, indicatâ praeprimis intimâ seminis structurâ et praesentiâ aut absentiâ perispermi.

R. Semina *Alzateae* dissepimento utrinque adnata , à basi ad apicem duplici ordine superimposita. Arbor excelsa: Truncus crassus, comâ frondosissimâ: Rami verticillato-quaterni, teretes: Folia opposita, integerrima, coriacea: Corymbi terminales , compositi : Pedunculi inferi et terminales, verticillato-quaterni ; intermedii oppositi : Calyces coriacei. Alzatea ad Dicotyledones apetalas staminibus hypogynis pertinet, sed nullo Generi illorum approximatur.

R. Verticillaria : Genus Theae affine , sed ab eo differt floribus apetalis: stylo nullo; stigmate concavo, leviter trilobo. Arbor 20-ulnaris et ultra, frondosa, obscurè viridis , resinifera : Rami verticillatim quaterni , superiores oppositi : Folia opposita , horizontaliter venoso-nervosa, nervis supra sulcatis : Petioli semiamplexicaules , canaliculati : Pedunculi brevissimi , uniflori , ex axillis cicatricum à foliorum delapsu relictarum : Capsula lignosa , luteo-viridis , muricata.

R. Nunnezharia : Inter Palmas inserenda cum novo Phytelephas Genere, in Systemate evulgato, cujus character genericus hic est. *Hermaphroditi masculi flores* in distincta planta : *Cal. Spatha* universalis obtusè anceps, apice attenuata , compressiuscula , monophylla , univalvis. *Spadix* simplex , oblongus, subanceps , amentaceus, staminibus numerosis undique tectus , infernè squamis nonnullis cordatis acuminatis obvallatus. *Perianthium* nullum. *Cor.* nulla. *Stam. Filamenta* confertissima , subulata. *Antherae* lineari-subulatae , subspirales. *Pist. Rudimentum* effoetum. = *Hermaph. feminei flores* in diversa planta. *Cal. Spatha* universalis, ut in hermaphroditis masculis. *Spadix* capitatus, flosculis tectus , imbricatus squamis totidem tenerrimis , basi ampliatis , compressis , à medio filiformi-subulatis , longitudine spadicis. *Perianth.* nullum, ni squamas dicas. *Cor.* nulla. *Stam. Filamenta* plura , subulata, longa, germina ambientia. *Antherae* subulatae, steriles. *Pist. Germina* nonnulla , subrotunda. *Stylus* filiformis , squamis longior , semiquinquefidus ; laciniis subulatis. *Stigmata* simplicia. *Per. Drupae* plures, in capitulum maximum, muricatum , coriaceum , durissimum aggregatae , obovatae, angulosae , quinqueloculares. *Sem. Nux* oblongo-obovata , obsoletè trigona. *Nucleus* ejusdem figurae , osseus. Generis nomen ex plantae et eboris nominibus graecis conflatum.

Apetalae diclines. *Llagunoa* : si petalis instrueretur , Sapindis accederet , sexubus abortu distinctis et lobis corculi convolutis absque perispermo. Verè apetala et monoica Euphorbiis fortè approximatur, distincta tamen stigmate simplici et axi centrali intra capsulam nullo et valvis medio septiferis. ¿An ideo licet apetala Rhamnoideis proprior? Sed in Rhamnoideis plerumque stamina tot quot petala 4-6 , non plura. Genus ergo nulli consonum , nisi fortè Samydae.

R. Genus Dodoneae proximum, ideoque ad Terebinthinacearum ordinem referendum. Arbuscula sexulnaris et ultra, valde ramosa : Rami angulosi: Folia sparsa , inferiora et primaria ternata , superiora simplicia : Petioli utrin-

que incrassati: Rami axillares, solitarii, subdichotomi, deflexi, pauciflori: Pedicelli bracteolis suffulti.

Pavonia: Genus verè novum ¿an servandum nomen, cùm Pavonia Cavanill. rectè secernatur ab Hibisco?

R. In mea ad te Epistola ad Pavoniam nostram servandam fundamenta exposui; quod Genus floris partibus et praesertim staminibus cum Laurinis convenit; germinibus numerosis cum Ranunculaceis. Arbor procera, sempervirens, frondosissima, valde fragrans: Rami brachiati: Folia opposita, à medio ad apicem serrata: Petioli subcontorti: Racemi axillares, breves, simplices, saepius tripartiti: Pedicelli brachiati, bracteolis subulatis suffulti (1).

Carludovica: certe distincta à Potho, sed character difficilis et descriptio ambigua perficienda. Congener Arum Plumier. amer. t. 69.

R. Characterem genericum rite elaboratum in Prodromo dedimus. Cum Potho non nisi Spadicis figurâ convenit; ceteri Characteres utriusque Generis maximè dissentiunt. Spathae et Frondes, sive Folia ad Palmarum ordinem Carludovicam amandant. Palmae sunt monoicae, polyandrae: Caudices nulli aut tenues: Caules radicantes: Frondes flabelliformes aut furcatae, nervosae, plicatae: Stipites longissimi aut breves: Scapi radicales aut axillares: Spadices cylindrici, longi, Spathis quadrifoliis obvoluti, floribus masculis et femineis ordine intermixtis undique tecti. Fructificatio equidem singularissima, Aris proxima.

Martinezia, *Iriartea*, *Morenia* (2), *Decostea*, *Citrosma*, *Tafalla* nondum à nobis excerpta ex Opere.

R. Decostea: Inter Caprifolias inserenda? Frutex scandens, ramosissimus: Rami teretes; teneri tetragoni: Folia sparsa, approximata, mucronata, á medio ad basim dentato-spinosa, coriacea, sursum spectantia: Racemi axillares, plures ex singula axilla, foliis breviores, ad singuli basim bracteolis 3-6-nis.

R. Citrosma: Ad Urticarum ordinem eam pertinere puto. Frutices 2-4-orgyales, citriodori: Caules erecti, teretes: Rami patuli, superne secundum articulationes compressiusculi: Folia verticillata, 3-4-na, aut opposita, scabra aut laevia: Racemi axillares, breves, subdichotomi, 2-3-ni, pauciflori: Flores parvi. In omnibus Speciebus quidam humor salivae instar in florum racemis saepe observatur.

R. Tafalla: Inter Coniferas collocandum ante aut post Ephedram. Arbuscula et Frutices 2-4-orgyales, resiniferi, odorem ad Mastichen accedentem spirantes: Rami brachiati, articulati, obtusè tetragoni: Folia opposita: Petioli connati, vaginantes: Stipulae interfoliaceae: Pedunculi axillares: Flores masculi amentacei, lutei: feminei strobilacei, virescentes. Strobili maturati candidi.

Jussiei conclusio. Supradictas observationes Jussieus emisit fidenter, cum submittantur examini et judicio auctoris D. Pavon, qui possidens specimina in herbariis, auptosiâ potest aut observationes confirmare aut easdem infirmare. Id unum ab eo expetit incertus observationum exarator, ut quaestionibus ipsius solutio concedatur, qualis ex herbariis expromenda est. Habitus plurimum confert determinando generis Ordini, ideoque in descriptione generica non omittendus, dum speciebus omnibus communis habetur. Inde Characteres extraflorales utiliter addendo floralibus, quales Caulis herbaceus aut lignosus, folia opposita aut alterna, aut vaginantia aut stipulacea, juniora revoluta aut convoluta, aut equitantia &c. simplicia aut composita &c. Flores axillares aut terminales, variè approximati in spicam, corymbum, umbellam, paniculam &c. Dum poterit auctor D. Pavon memoratos characteres descriptionibus genericis addere, eximium perficiet opus systemati cuilibet tunc accommodatum.

Ruizii observ. I. De Acostae, Smegmadermi et Kageneckiae Generibus nullam mentionem facis.

Obs. II. In Systemate Flor. Per. vernacula et vulgaria nomina plurium Specierum praedictorum Generum invenies; ibi plures observationes et res alias non parvi fortasse momenti legere poteris, quas hoc loco, ne longior sim, praetermitto.

Obs. III. Quo tempore Prodromum celeriter evulgavimus, nec omnes descriptiones, nec icones, neque ulla exemplaria recentiora exsiccata, nec plura Opera botanica possidebamus; qua de causa non paucas notas characterum genericorum omisimus, quas continuo in Specierum voluminibus addimus et reformamus.

1 Etsi *Pavonia* Cavanill. ab *Hibisco* certè secernatur, non ideo ab *Urena*, ut in Controversis semper exposui, separari debet.

2 Genera Martinezia, Iriartea et Morenia inter Palmas consocianda.

CLASSIS V.

PENTANDRIA MONOGYNIA.

CINCHONA LANCEOLATA. Icon. CCXXIII.

3. C. foliis lanceolato-oblongis glabris, paniculâ brachiatâ magnâ, floribus subcorymbosis, corollis roseo-purpureis, limbo hirsuto.

Cascarillo lampiño. Ruiz. *Quinol. art. IV. p. 64.*

Obs. 1. Hujus Speciei descriptionem completam in II. Tom. pag. 51. inseruimus.

Obs. 2. Cùm in Navis Alcantarensis naufragio iconis hujus Speciei jacturam fecerimus, uti monuimus in 2. observatione, quam ejus descriptioni in Volumine praecedenti subjecimus, neque adhuc ad manus nostras nova icon, ab Alumno Joanne Tafalla mittenda, pervenerit; summopere opportunum ducimus quamdiu illam iconem expectamus, ejus imaginem ex speciminibus siccis repraesentare, et in hoc Volumine praemittere, ut Botanicis pariter ac Botanophilis innotescat insigne discrimen, quod inter nostram *Cinchonam lanceolatam* intercedit, et D. Mutis *Cinchonam lancifoliam*, seu C. *aurantii coloris*, quae eadem prorsus est ac *Tunita* D. Lopezii, cujus descriptionem et iconem adumbrare nobis licuit ex speciminibus siccis á Lopezio communicatis, quamque in Quinologiae Supplemento evulgavimus sub nomine *Cinchonae angustifoliae* p. 14; unde etiam apparebit quanta levitate usus sit D. Franciscus Antonius Zea, cùm eas plantas pro meris varietatibus obtrudit, quae quidem Species prorsus diversae sunt, uti ineluctabilibus rationibus evicimus in supra memorato Quinologiae Supplemento, in quo quidquid ad Peruvianas et Sanctaefidenses Cinchonas spectat, abunde enucleatum lector inveniet.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla scissa cum staminibus. 4 Stamen. 5 Pistillum.

CINCHONA GLANDULIFERA. Icon. CCXXIV.

9. C. foliis ovato-lanceolatis supra glandulosis, paniculis subcorymbosis, corollis albido-roseis, limbo intus lanuginoso.

Cascarillo glanduloso. Quinol. Suplem. *art. XIII. p. 5.*

Frutex biorgyalis, erectus, comâ ramosâ frondosâ.

Trunci 2-4, crassitie tripollicari, teretes. *Cortex* extus albido-cinereus, maculis fuscis nigrescentibusque variegatus, scaber, intus dilutè helvolus, amarissimus, gratus, aromaticus, valde acidulus stipticusque, non viscosus.

Rami erecti, teretes; *juniores* parum compressi, obtusè tetragoni, sulcati, purpurascentes, villoso-tomentosi, molles.

Folia opposita, ovato-lanceolata, nonnulla lanceolata, integerrima, marginibus parum reflexis, undulato-repandis: supra nitida, glaberrima, dilutè viridia, ad venularum ortum glandulâ parvâ, rotundâ: subtus villoso-tomentosa, praecipuè ad venas et nervum.

Petioli brevissimi, canaliculati.

Stipulae interfoliaceae, supraxillares, basi coadunatae, oblongae, acutiusculae, concavae, vix purpureae, subtus parum villosae, caducae.

Pedunculi terminales, et ex axillis superioribus, brachiati, tetragoni, quadrisulci, multiflori.

Pedicelli consimiles, villosi, breves; communes partialesque bracteis lanceolatis, oppositis suffulti.

Flores paniculato-corymbosi.

Calyx quinquedentatus; denticulis subulatis, purpureus.

Corolla calyce triplò longior, extus glabra, albido-rosea. *Tubus* cylindricus, supernè sensim ampliatus. *Limbus* patens, intus lanuginosus.

Filamenta infra medium tubi inserta, brevissima. *Antherae* lineares, tubo breviores.

Stylus longitudine antherarum. *Stigma* bilobum.

Capsula oblonga, parva, post seminum effusionem nutans.

Semina fulva, membranâ scariosâ, tenui cincta.

Habitat in *Peruviae Andium* montibus nemorosis ad *Chicoplaya* runcationes, *Carpales* dictas.

Floret Februario, et Martio.

Vulgo: *Cascarilla negrilla.*

Obs. Numerus 9, qui *Cinchonae grandiflorae* Speciem in 2. Volum. indicabat, huic Speciei transtulimus.

Explic. Icon. 1 Flos integer cum bracteis duabus. 2 Calyx cum eisdem bracteis. 3 Corolla. 4 Eadem scissa, stamina ostendens. 5 Pistillum. 6 Capsula. 7 Eadem sponte dehiscens. 8 Receptaculum cum seminibus. 9 Idem absque seminibus. 10 Semina.

CINCHONA ACUTIFOLIA. Icon. CCXXV.

11. C. foliis ovatis acutis, paniculis terminalibus brachiatis, corollis candidis glabris.

Cascarillo de hoja aguda. Quinol. Suplem. *art. XIV. p. 8.*

Arbor quadriorgyalis, comâ parum frondosâ, patulâ.

Truncus solitarius, erectus, teres, crassitie bipedali. *Cortex* tenuis, obscurè fuscus, scabriusculus, maculis albis variegatus, mediocriter amarus, stipticus.

Rami teretes: *teneri* compressiusculi, vix pubescentes.

Folia opposita, petiolata, ovata, acuta, integerrima, undulato-repanda, supra glabra, nitida, subtus venosa, nitidiuscula, nervo venisque villosis.

Petioli subteretes, leviter sulcati, sesquipollicares, basi incrassati.

Stipulae interfoliaceae, supraxillares, ovatae, acutae, marginibus retroflexis, leviter purpureae, caducae.

Panicula terminalis, brachiata.

Pedunculi communes bracteis lanceolatis, acutis, deciduis sustentati, multiflori.

Flores subsessiles, terni, bracteolis subulatis stipati.

Calyx quinquedentatus, denticulis acutis, dilutè purpureus.

Corolla candida, glabra, odore Naphae. *Tubus* leviter angulatus, calyce 4-plo longior, medio dilatatus. *Limbus* patens; *laciniis* lanceolatis.

Filamenta brevissima, medio tubi inserta. *Antherae* lineares, inclusae. *Stylus* calyce brevior. *Stigma* bilobum, calyce longius.

Capsula turbinata, pollicaris, parum compressa, pubescens.

Semina fulva, membranâ scariosâ, helvolâ cincta.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus imis ad *Chicoplaya* fluvium, *Taso* dictum.

Floret Majo, et Junio.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem scissa, stamina exhibens. 5 Pistillum. 6 Capsula dehiscens. 7 Receptaculum cum seminibus. 8 Idem absque seminibus. 9 Semina.

COSMIBUENA.

CHARACTER GENERICUS NATURALIS.

Cal. *Perianthium* tubulosum, brevissimum, quinquedentatum: *denticulis* sejunctis, subulatis, erectis, caducis; superum, deciduum.

Cor. longissima, infundibuliformis. *Tubus* teres, basi pentagonus. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* ovatis, acutis, obliquè curvatis, patenti-reflexis, marginibus introflexis.

Stam. *Filamenta* quinque, brevissima, infra faucem inserta. *Antherae* incumbentes, lineares, basi bifidae, sulcatae, biloculares, inclusae.

Pist. *Germen* cylindricum, truncatum. *Stylus* filiformis, antherarum longitudine. *Stigma* bilobum; *laciniis* oblongis.

Per. *Capsula* oblonga, basi angustior, bisulca, curvata, rudimento styli acuminata, bilocularis, apice ad basim bivalvis: *valvulis* duplicatis; *exterioribus* angustioribus, coriaceis, per siccitatem ab interioribus secedentibus; *interioribus* marginibus involutis, dissepimenta constituentibus, callosis, cymbaeformibus, integerrimis, intus laevigatis, extus quinquenervibus; nervis rugosis, tandem à valvulis liberis, filiformibus, in receptaculo persistentibus.

Sem. numerosa, minima, ovalia, cincta alâ angustâ, lineari, utrinque acutâ, lacerâ, striato-reticulatâ, striis undulatis. *Receptaculum* magnum, lamellatum in singulo loculo, utroque latere cum valvulae marginibus sese convolvens, hinc valvulae marginibus intime adpressum, inde seminiferum.

Obs. Genus *Cinchonae* valde affine, sed ab eo differt *corollâ* longissimâ; *limbo* glabro, acutissimo, reflexo, obliquè curvato: *calyce* deciduo, denticulis sejunctis, caducis; *staminibus* infra faucem insertis; *capsulâ* apice bivalvi; *valvulis* ita involutis, ut loculamenta quasi in duos loculos dispescere videantur, tandem expansis: *receptaculo* magno, lamellato in singulo loculo, utroque latere cum valvulae marginibus sese convolvente, hinc valvulae marginibus intimè adpresso, inde seminifero: *alâ* seminum angustiori, striato-reticulatâ, striis undulatis.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Cal. deciduus; *denticulis* sejunctis, caducis. *Corolla* longissima; *limbo* reflexo, obliquo, glabro. *Stamina* infra faucem inserta. *Capsula* apice bivalvis; *valvulis* ita involutis, ut loculamenta quasi in duos loculos divisa. *Receptacula* lamellata, hinc valvulis adpressa, inde seminifera. *Semina* ovalia, cincta alâ lineari, angustâ, striato-reticulatâ, striis undulatis.

Habitus.

Arbores. Trunci erecti. *Rami* brachiati, teretes: *juniores* leviter tetragoni, cavi. *Folia* opposita, petiolata, integerrima, carnosa, coriacea: *venis* obsoletis, simplicissimis. *Petioli* subcontorti. *Stipulae* magnae, coloratae, interfoliaceae, integerrimae, caducae. *Flores* terminales, corymbosi, aut solitarii.

Obs. 1. Quo tempore secundum hujus operis Volumen typis committebamus, opportunius duximus primam *Cosmibuenae* Speciem ad *Cinchonae* Genus redigere, (quod ideo fecimus triviali nomine *grandiflorae* illam designantes, quamvis in ejus fructificatione nonnullas notas dissentientes animadvertebamus, quòd maximam omnium cum eo affinitatem praeseferebat,) quàm novum Genus ex unica specie constituere. Interea tamen *Cinchonae* Characteri Generico naturali reformato haec tunc subjecimus: 1. Calycem *C. grandiflorae* decidere, ubi paululum crevit germen: 2. Corollae limbum glabrum esse: 3. Capsulae valvas supernè dehiscere: quin etiam in *C. grandiflorae* descriptione totum ejus Characterem genericum naturalem, in ceteris speciebus praetermissum, eo consilio addidimus, ut ejus ope Botanicis patefieret discrimen, quod inter illam speciem et congeneres intererat. Sed cùm jam magis magisque manifestam reddiderit dissimilitudinem (quae etiam Quinologiae auctorem coegit eam à septem legitimis *Cinchonae* speciebus in suo Opusculo memoratis excludere) alia Species postmodum à nostro Alumno D. Joanne Tafa-

Ila in Peruvia detecta; illam nunc à *Cinchonae* Genere separamus, novum Genus ex utraque formantes, quod *Cosmibuenam* denominamus, atque ita Genus reponimus, quod eodem nomine à nobis in Prodromo evulgatum fuerat, percelebri D. D. Cosmae Bueno dicatum, postea verò suppressum, statim ac animadvertimus illam plantam ad Genus Hirtellae pertinere, uti in primo systematis nostri vegetabilium Volumine scripsimus.

Obs. 2. D. Cavanilles in *Annalibus historiae naturalis n. 6.* Genus *Buena* emisit ad consecrandam pariter ejusdem D. Cosmae Bueno, Peruviae Cosmographi, memoriam; sed cùm demonstratum à nobis sit in Quinologiae Supplemento, *Buenam Panamensem* Cavanilles nostri Generis *Gonzalaguniae* Speciem esse; ad hoc amandari debet, ac proinde ejus Genus *Buena* praetermitti (1).

Obs. 3. Liberavimus tandem fidem, quam dedimus Sanctaefidensium Cinchonarum propugnatori in Quinologiae Supplemento pag. 86. siquidem *Cinchonam grandifloram* illustravimus, atque ex eâ, novâque aliâ Specie Genus novum constituimus: neque ullo modo planta illa recensenda est, ut D. Zea in sua Dissertatione contendit, inter *Cinchonas*, quae Generis proprietates, quòd corollâ villosâ non gaudeant, leviter obtinent. Interea non desperamus, ipsum, praeceptoremque ejus clar. D. Mutis opinioni nostrae subscripturos, ubi *Cosmibuenae* et *Cinchonae* characteres invicem contulerint.

Obs. 4. Ut verò ipsi Domino Zea luculenter appareat, D. Sebastianum Lopez Ruiz non adeo notionibus botanicis destitutum esse, ut solum Collectoris nomen mereatur, quod ei tribuit in Sanctaefidensium Cinchonarum Dissertatione, Historiae naturalis Annalibus n. 5. insertâ; hîc post *Cosmibuenam obtusifoliam* transcripsimus descriptionem, quam in Hispaniam anno 1784. ipse Lopez misit *Cinchonae Azuzeno*, hoc est odoris Naphae: ex qua simul intelliget D. Zea, nos neutiquam indiguisse ejusdem descriptione ad nostram *Cinchonam grandifloram*, seu *Cosmibuenam obtusifoliam* evulgandam.

Obs. 5. Quamquam *Cosmibuenae obtusifoliae* descriptionem legere licet in hujus Operis secundo Volumine nomine *Cinchonae grandiflorae*: eamdem iterare et augere in hoc Volumine consultum duximus, omisso tamen Charactere generico naturali, quem magis completum hîc damus; addimus quoque novam Iconem exhibitâ ad majorem Characteris generici illustrationem Capsulâ transversim scissâ et auctâ; Receptaculis utrinque conspectis; et Semine valde aucto.

COSMIBUENA OBTUSIFOLIA. Icon. CXCVIII. (2)

1. C. foliis ovalibus obovatisque obtusis, floribus corymbosis.

Cinchona (grandiflora) foliis ovalibus obovatisque subaveniis coriaceis subtus albidis, corymbis terminalibus, corollis magnis glabris candidis. *Flor. Peruv. t. 2. p. 53. icon. 198.*

Arbor triorgyalis, glaberrima.

Truncus erectus, teres, solitarius, aliquando plures, supernè ramosus. *Cortex* extus cinereo-fuscus, intus lutescens, amariusculus, non ingratus.

Rami teretes, patuli: *teneri* leviter tetragoni, in summitatibus foliosi.

Folia opposita, parum approximata, petiolata, patentia, plana, ovalia, obovata ovataque, obtusissima, integerrima, coriacea, crassa, supra nitida, dilutè viridia, subtus albida, venis erecto-inflexis, simplicissimis, vix manifestis, inferioribus oppositis, superioribus alternis.

Petioli sesquipollicares, supra leviter canaliculati.

Stipulae interfoliaceae, supraxillares, oppositae, magnae, petiolis breviores, basi invicem adpressae, obovatae, obtusae, obsoletè longitudinaliter striatae, caducae, fulvescentes.

Corymbi terminales, foliosi, patuli, ferè trigintaflori: *partiales* 3-5fidi, 4-9flori, defoliati.

(1) Nomen *Buena*, non vero *Cosmibuena* indidit suae plantae D. Cavanilles, quoniam primum illud nomen ab artis regulis suo judicio aberrat. Rectè equidem, modò duo vocabula, ex quibus conflatur, res diversas designarent, ut accidit in sequentibus exemplis, quae affert Botanices legislator Linnaeus, ut illustraret suae Philosophiae Can. 221, quem absdubio observandum contendit D. Cavanilles; v. g. *Centaurium majus*, *Corona Solis*, *Dens Leonis*, *Crista Galli*, *&c.* Sed vocabulum *Cosmibuena* nomen et cognomen includit, quibus nominatus et notus semper fuit in America et Europa praelaudatus Cosmographus, nunquam verò solo cognomine: ceterum D. Cavanillesii scrupulus nihil ad rei caput facit, neque rerum naturalium Professores, num *Buena*, an *Cosmibuena* appelletur, valde curabunt, quemadmodum nostrûm alter in Responsione ad impugnationem Prodromi, quam praematurè publici juris fecit idem D. Cavanilles, fusius exposuit. Postremo Linnaeus ipse nullum verbum fecit in artis praeceptis, num debeant, necne, conglutinari eorum virorum nomen et cognomen, quibus plantae nuncupentur; quapropter cùm *Cosmibuenae* nomen ceteris artis praeceptis sit conforme, facilè pronuntiandum et nomen continens, quo semper, uti jam diximus nominatus et cognitus fuit Cl. Vir, cui dicatum Genus, ¿quis dubitet illud praeferre denominationi ex solo cognomine mutuatae? Linnaeus et reliqui Botanici optima arbitrantur ea plantarum nomina generica, quae ab aliquo ipsarum Charactere desumuntur; sed pleraque hactenus recepta non omnibus Speciebus, multa autem solum primae Speciei conveniunt; quae tamen inmutata permanent: maneat itaque *Cosmibuenae* nomen, quod in omnibus Speciebus memoriam renovat viri plurium scientiarum cognitione imbuti et Peruviani, Chilensis et Bonariensis Regni eorumque opum naturalium descriptionibus optime meriti. Idem dicendum de ceteris nominibus compositis, quibus nonnulla alia Genera viris insignibus consecravimus, uti *Carludovicam* Augustis Hispaniae Regibus Carolo et Ludovicae, *Juanulloam* immortali Hispanorum mathematicorum pari, studiorum et itinerum societate conjunctissimorum, Georgio Juan et Antonio Ulloa, *Gomortegam* Casimiro Gomez Ortega, indefesso, et veteri Botanices praeceptori nostro, &c.

(2) *Obs.* Iconem denuo hîc sistimus, correctiorem quidem et diverso nomine, sed eodem num. 198. quo in Volumine 2. exhibuimus.

Pedunculi brachiati, obsoletè quadrangulares, bi-triflori.
Pedicelli uniflori, bracteolis subulatis, deciduis stipati.
Corolla ferè tripollicaris, candida, fragrantissima.
Antherae luteae, lineares, basi bifidae, semipollicares.
Capsula extus fusco-castanei coloris; intus pallescens.
Semina fulva, alâ helvolâ. *Receptacula* ferruginea.
Reliqua, ut in Charactere generico.
Habitat in *Andium* nemoribus calidissimis, affatim ad *Pozuzo* fluvii margines; et in novo vico nuncupato *Pueblo nuevo de S. Antonio de Chicoplaya.*
Floret à Januario ad Martium.
Obs. Anno 1784. ad *Pozuzo* ripas hanc Speciem detexímus, descripsimus, et delineavimus.
Explic. Icon. 1 Calyx à germine liber. 2 Stamina tubo corollae inserta. 3 Pistillum. 4 Capsulae dimidia pars inferior transversim secta. 5 Semina. 6 Capsulae dimidia pars inferior transversim secta et aucta, ut Receptacula et margines valvularum involuti conspiciantur. 7 Semen auctum. 8 Receptaculum extus visum cum seminibus. 9 Idem intus manifestum marginibus involutis.

DESCRIPTIO A D. D. SEBASTIANO JOSEPHO Lopez Ruiz ex Sanctaefidensi Regno missa.

PENTANDRIA MONOGYNIA.

Spec. 5. *Cinchona* (Quina). *Cape-cape, Capecito, Cape negro, Mestiza, Azuzeno, insipida et spuria.*
Folia membranaceo-crassa, opposita, lanceolato-obovata, in petiolum brevem basi attenuata, apice obtusa, integerrima, supra nitidissima, dilutè virentia, subtus albicantia, leviter venosa; adulta coccinea, tandem flava.
Pedunculi uniflori, bracteis duabus petiolatis, oppositis, oblongis, ad eorum basim utrinque sitis.
Flores magni, tripollicares ut plurimum, terminales, suave olentes, liliorum convallium fragrantiam, albedinemque quammaxime aemulantes: in singulo racemo simplici quatuor.
Corolla infundibuliformis: *limbus* quinquefidus, *laciniis* quinque, ovatis; post absolutam floris explicationem patentissimis, vel revolutis, tubo longissimo, cylindraceo brevioribus.
Perianthium monophyllum, campanulatum, longum, profundè quinquedentatum, denticulis acutis.
Reliqua, ut in quatuor Cinchonae Speciebus optimis à me hucusque visis, et decorticatis: verùm cùm hujusce cortices hebetiori amarore gaudeant, vel potius insipidi dicendi sint, imo nulla fortasse virtute praediti; contemnendi penitus, ni fallor.
Habitat quamplurimis in montibus fertilissimi hujus novi Regni Granatensis, praecipuè circa Praedium *la Quebrada larga*, prope pagum *la Mesa de Juan Diaz*; oppidisque *Fusagasugá* ad *Novillero*; *Icononso*; *Suaza*; *Ceja de Andaquies*; quibus in locis à me procerae plantae hae visae; novi postea easdem quoque circa *Giron*, et *Mariquita* civitates habitare; copiosè crescunt inter Cinchonas rubras, et litterâ *B.* jamdiu à me designatae, et in Hispaniam missae.
Florentem cum fructu vidi Januario, Februario et Martio annorum 1780. 1783. et 1784.

COSMIBUENA acuminata. Icon. CCXXVI.

2. C. foliis ovalibus acuminatis, floribus solitariis sessilibus.
Arbor quinqueulnaris, glabra.
Truncus solitarius, aliquando plures, tenuis, erectus, teres, ramosus. *Cortex* cinereus, amarus.
Rami brachiati, patentes, teretes: *juniores* leviter tetragoni, cavi, foliosi.
Folia opposita, remota, patula, breviter petiolata, plana, ovalia, acuminata, integerrima, coriacea, dilutè viridia, subavenia; bipalmaria, latitudine palmari: venis simplicissimis; inferioribus oppositis, reliquis alternis; nervo utrinque parum prominente.
Petioli leviter contorti, supra canaliculato-plani, ut plurimum semipollicares.
Stipulae supraxillares, interfoliaceae, oppositae, adpressae, pollicares et ultra, ovali-obovatae, integerrimae, rubescentes, caducae, leviter venosae, venis longitudinalibus divergentibus.
Flores terminales, solitarii, sessiles, bracteolis duabus, ovalibus, concavis, germen amplexantibus, deciduis stipati.
Corolla alba, tripollicaris et ultra, glaberrima. *Tubus* tenuis, leviter striatus. *Limbus* quinquepartitus; *laciniis* ovato-lanceolatis, acutis, oblique curvatis, marginibus retroflexis, patentibus, tandem deflexis.
Filamenta quinque, brevissima, infra faucem inserta, plana. *Antherae* incumbentes, lineares, basi leviter bifidae, biloculares, luteae, inclusae.
Germen cylindricum, truncatum. *Stylus* filiformis, longitudine antherarum. *Stigma* oblongum, bilobum, inclusum.
Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus imis, ad *Chicoplaya* tractus, unde Joannes Tafalla specimina sicca nobis anno 1798. misit.
Floret Februario, et Martio.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla scissa cum staminibus. 3 Stamen posticè visum. 4 Idem anticè. 5 Pistillum cum calyce. 6 Germen adultum.

HUERTEA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 34. Icon. VI.

HUERTEA glandulosa. Icon. CCXXVII. *Fig. a.*

1. H. foliis impari-pinnatis.
Arbor triginta ulnaris et ultra: comâ frondosâ, patente.
Truncus erectus, crassus, fusci coloris. *Lignum* fulvescens.

Rami teretes ; *teneri* striati.

Folia sparsa , pedalia et ultra , impari-pinnata : *foliola* ovato-oblonga , ovato-cordata oblongo-lanceolataque, acuta ; nonnulla basi inaequalia ; intima minora, supra nitida , serrata : serraturis incrassatis , glandulaeformibus , ad basim venularum punctis villosis, albicantibus, notata.

Glandulae duae ad singulorum parium foliolorum basim , et duae ad basim singuli folii , subulatae , nigrae, caducae.

Petioli *communes* teretes , longi : *partiales* brevissimi, supra sulcati.

Racemi axillares terminalesque , magni , compositi , pubescentes.

Pedunculi multiflori.

Pedicelli breves , bracteolis subulatis , minimis , deciduis stipati.

Flores parvi.

Calyx pubescens.

Corolla lutescens.

Antherae ovato-cordatae , incumbentes.

Habitat in nemoribus *Muña* ad *Rinconada* tractus.

Floret Augusto , et Septembri.

Vulgo: *Cedro macho.*

Usus: Ex Ligno asseres optimos ad aedificia construenda et ad alios usus perutiles incolae findunt.

Obs. 1. Sapor foliorum subadstringens est.

Obs. 2. In Charactere generico adde *Antheras incumbentes.*

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Idem absque corolla. 3 Petala. 4 Stamina. 5 Pistillum.

HIRTELLA. Linn. *Gen. pl. p.* 153.

HIRTELLA racemosa. Icon. CCXXVII. *Fig. b.*

1. H. foliis oblongis acuminatis , racemis compositis pubescentibus , floribus triandris.

Frutex biulnaris.

Caulis erectus , teres , ramosus , fuscus , glaber.

Rami patuli , consimiles : *teneri* foliosi , pubescentes , angulati.

Folia alterna , breviter petiolata , oblonga , acuminata, acumine obliqüo , integerrima , subtus pubescentia, venosissima , supra glabra , nervo prominente , sesquipalmaria ; *tenera* utrinque pubescentia.

Stipulae oppositae , subulatae , erectae , petiolis longiores , pubescentes , deciduae.

Racemi axillares terminalesque , compositi , pubescentes, solitarii binique.

Pedunculi bipalmares, angulati.

Pedicelli bi-triflori , bracteis parvis , pubescentibus , solitariis , subulatis stipati.

Calyx quinquepartitus : *laciniis* ovatis , concavis , reflexis ; inferus , persistens , pubescens.

Petala 5 , obovata , emarginata , albido-violacea, glabra.

Discus nectariferus annularis , germen ambiens , minimus.

Filamenta tria , subulata , compressa , patentia , petalis longiora, disco inserta, persistentia, tandem spiralia. *Antherae* subrotundae , bifidae. *Rudimenta* filamentorum duorum brevissima , margini disci inferiori inserta.

Germen obovatum , hirsutum. *Stylus* subulatus , longitudine staminum , è basi germinis ortus , hirsutus , infernè incurvus , persistens. *Stigma* capitatum.

Drupa cuneiformis , subplicata , parum recurvata , hirsuta , monosperma , stylo persistente ad basim.

Semen unicum , obovatum , acumine uncinato.

Habitat in *Chinchao* nemoribus ad *Macora* praedium.

Floret Junio , et Julio.

Obs. Ad hanc Speciem referenda est Planta, ex qua Genus *Cosmibuena* in Prodromo Florae Peruvianae evulgavimus.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Idem absque corolla. 3 Petala. 4 Nectarium cum staminibus et rudimentis duobus. 5 Pistillum. 6 Drupa cum calyce. 7 Eadem transversim secta. 8 Nucleus.

CEANOTHUS. Linn. *Gen. pl. p.* 148.

CEANOTHUS granulosus. Icon. CCXXVIII. *Fig. a.*

1. C. foliis ovato-oblongis acuminatis glabris nitidis leviter ad medium serratis , pedunculis brevibus dichotomis multifloris.

Frutex quadriorgyalis.

Caulis erectus , ramosissimus , teres, undique granulosus.

Rami consimiles , patentes , nigricantes : *teneri* villosi.

Folia alterna , ovato-oblonga , nonnulla oblongo-obovata , acuminata , à medio ad apicem leviter serrata , nitida , venosa , ad basim venularum pubescentia , coriacea.

Petioli semipollicares , pubescentes , semiteretes , supra leviter sulcati.

Stipulae subulatae , oppositae , caducae.

Pedunculi axillares , teretes , dichotomi, solitarii, petiolis breviores.

Pedicelli bracteolâ ovatâ , minimâ , caducâ suffulti.

Calyx turbinatus , pubescens , luteo-viridis : *limbo* quinquepartito : *laciniis* acutis , apice triquetris , deciduis; *basi* persistente , crescente , orbiculato-peltatâ.

Corolla: *Petala* quinque , minima , obovata , concava, unguiculata , calycis interstitiis inserta , stamina obtegentia , alba.

Nectarium : *Discus* fungosus , vix prominulus , germen ambiens.

Stamina : *Filamenta* quinque , filiformia , angulis nectarii insidentia , sub basi petalorum. *Antherae* ovato-cordatae , incumbentes.

Pistillum : *Germen* ovatum, disco calycis semimmersum.

Styli tres, breves, subulati, basi connati. *Stigmata* acuta, patentia.

Bacca subrotundo-turbinata, obsoletè trigona, trilocularis.

Semina solitaria, obovata, hinc gibba, inde plana, lutescentia.

Habitat in nemoribus *Chinchao*, *Cuchero* et *Vitoc*.

Floret Augusto, et Septembri.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Idem patens. 3 Calyx cum disco. 4 Petala aucta. 5 Stamina aucta. 6 Pistillum cum disco. 7 Bacca. 8 Eadem transversim secta. 9 Semina.

CEANOTHUS pubescens. Icon. CCXXVIII. *Fig. b.*

2. C. foliis ovatis acuminatis pubescentibus acutè serratis, pedunculis brevibus dichotomis multifloris.

Frutex triorgyalis.

Caulis erectus, teres, laevis, ramosissimus.

Rami consimiles, patentes, fusco-atri: *teneri* pubescentes, angulati.

Folia sparsa, ovata, acuminata, à basi ad apicem acutè serrata, venosa, utrinque pubescentia.

Petioli semipollicares, supra leviter sulcati.

Stipulae oppositae, subulatae, caducae.

Pedunculi axillares, solitarii, petiolis breviores, dichotomi.

Pedicelli breves, bracteolâ minimâ, subulatâ, nigrescente, caducâ stipati.

Bacca subrotundo-turbinata, nigra.

Reliqua, ut in praecedenti.

Habitat in *Andium* nemoribus versùs *Chacahuassi* tractus.

Floret Augusto, et Septembri.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx cum disco. 3 Petala. 4 Stamina. 5 Pistillum: *omnia aucta*. 6 Bacca cum basi calycis. 7 Eadem transversim secta. 8 Semina.

CELASTRUS. Linn. *Gen. pl. p.* 147.

CELASTRUS emarginatus. Icon. CCXXIX. *Fig. a.*

1. C. foliis ovatis ovalibusque acuminatis apice emarginato leviter serrato-crenatis, pedunculis congestis unifloris.

Frutex vigintiulnaris, polygamus, dioicus, glaber, inermis.

Caulis erectus, teres, fuscus, parum frondosus.

Rami consimiles, sparsi: *teneri* angulati, foliosi.

Folia sparsa, breviter petiolata, ovata ovaliaque, acumine obtuso emarginato, leviter serrato-crenata, supra nitida, utrinque venosa, coriacea, obscurè viridia; *juniora* lutescentia.

Petioli bilineares, contorti, supra canaliculati.

Pedunculi axillares, numerosi, aggregati, uniflori, breves, inaequales.

Petala lutea, patentia.

Stigma saepius integrum, aliquando bifidum, rarius trifidum, cujus incisurarum numero respondet loculamentorum capsulae numerus.

Capsula obovata, crocea, 1-3locularis.

Reliqua, ut in praecedenti.

Obs. In Planta hermaphrodita mascula paucissimos hermaphroditos femineos flores offendimus.

Habitat in *Andium* nemoribus ad *Muña* tractus.

Floret Augusto, et Septembri.

Explic. Icon. a *Ramulus herm. femin.* 1 Flos integer anticè visus. 2 Calyx cum disco et pistillo. 3 Petalum. 4 Stamen. 5 Pistillum cum disco. 6 Capsula cum calyce. 7 Eadem transversim secta. 8 Semina. *A Ramulus herm. masc.* 1 Flos integer. 2 Calyx cum disco, et pistillo. 3 Petalum. 4 Stamen. 5 Pistillum sterile.

CELASTRUS verticillatus. Icon. CCXXIX. *Fig. b.*

2. C. ramis aggregato-verticillatis, foliis oblongo-lanceolatis serratis, floribus racemosis, pedunculis uni-quinquefloris.

Frutex biorgyalis, polygamus, dioicus, glaber, inermis, sempervirens.

Caulis erectus, ramosissimus, teres, nigrescens.

Rami consimiles, aggregato-verticillati, virgati, valde erecti, infernè nudi, supernè foliosi: *juniores* angulati, saepius purpurascentes.

Folia conferta, sparsa, saepe glauca, breviter petiolata, oblongo-lanceolata, oblonga obovataque, serrata, utrinque nitida, coriacea, subtus venosa, ut plurimum palmaria.

Petioli breves, saepe purpurei.

Pedunculi axillares rameique, solitarii aggregatique, petiolis triplò longiores, uni-bi-quinqueflori bracteolâ unicâ, membranaceâ, rubicundâ, deciduâ, semilanceolatâ suffulti.

Pedicelli breves, bracteolis consimilibus sustentati.

Calyx *hermaph. masculis* quinquepartitus: *laciniis* subrotundis, concavis, inferus, persistens.

Petala quinque, ovata, patentia, calyce duplò longiora.

Discus nectariferus, planus, nitidus, in floris centro.

Filamenta quinque, subulata, patentia, in petalorum interstitiis extra discum receptaculo inserta. *Antherae* biloculares, erectae.

Pistillum nullum, nisi parvum rudimentum.

Calyx, *Petala* et *Discus hermaph. femin.* ut in hermaphroditis masc.

Stamina minima, sterilia.

Germen ovatum, superum. *Stylus* nullus. *Stigmata* tria, obtusa.

Capsula turbinata, obtusè trigona, trisulca, trilocularis,

stigmatibus coronata, trivalvis : valvulis patentissimis, medio septiferis, ante maturationem lutescentibus, tandem croceis.

Semina solitaria, obovata, arillo pulposo, flavo subobvoluta.

Obs. Capsulae nonnullae biloculares ; paucae quadriloculares.

Habitat in nemoribus *Cuchero, Muña,* et *Huassahuassi.*

Floret Junio, Julio et Augusto.

Vernacule Pigna in *Muña*: *Rurama* in *Huassahuassi.*

Usus : *Lignum* compactum, ideoque ad manubria conficienda inservit. *Semina* valde oleosa, è quibus per expressionem oleum copiosè elici potest, ad varios usus utilissimum.

Obs. ¿Ad hanc Speciem referri debet Celastrus octogonus L'herit. Sert. Angl. p. 7.?

Explic. Icon. b *Ramulus herm. fem.* 1 Flos integer, anticè visus. 2 Calyx cum disco et pistillo. 3 Petalum. 4 Stamen. 5 Pistillum. 6 Capsula aperta cum seminibus. 7 Eadem absque seminibus. 8 Semina. B. *Ramulus herm. masc.* 1 Flos integer anticè visus. 2 Calyx cum disco et pistillo. 3 Petalum. 4 Stamen. 5 Pistillum sterile.

CELASTRUS confertus.

3. C. ramis aggregato-verticillatis, foliis confertis ovalibus subrotundisque serrulatis, floribus congestis.

Frutex triulnaris, ramosissimus, glaber, polygamus.

Caulis erectus, teres, fusco-ater.

Rami sparsi aggregato-verticillatique, consimiles : *teneri* angulosi, patentes, leviter pubescentes.

Folia conferta, sparsa, breviter petiolata, à medio ad apicem serrulata, serraturis nigris, supra nitida, coriacea, mucrone minimo terminata, marginibus parum retroflexis, ovalia subrotundaque, saepe ovata oblongaque, venosa, nervo prominulo, patentia, nonnulla deflexa.

Petioli subpubescentes, parum recurvi.

Pedunculi axillares, numerosi, congesti, brevissimi, uniflori ; bracteolis subulatis distincti.

Flores albicantes, minimi.

Capsula 2-3locularis, 2-3valvis, 2-3sperma : valvulis patenti-reflexis, medio septiferis, intus croceis.

Semina obovata, arillo carnoso, croceo subinvoluta.

Habitat in *Andium* nemoribus altis, frigidis, versus *Muña*, et *Pillao* vicos.

Floret à Junio ad Augustum.

CELASTRUS uncinatus. Icon. CCXXX. *Fig. a.*

4. C. ramis dependentibus, foliis lanceolatis serratis acumine uncinato, pedunculis congestis unifloris.

Maytenus. Molin. *Hist. Chil. hispan. edit. p. 190.* Ant. Laur. Juss. *Gener. p. 449.*

Mayten. Fevill. *t. 3. p. 39. pl. 27.*

Arbor quadriorgyalis et ultra, glaberrima, polygama, dioica, sempervirens.

Truncus erectus, teres, fusco-cinereus, supernè ramosissimus.

Rami sparsi, per intervalla approximati, patentes, plerumque dependentes, teretes : *juniores* angulosi, viridi-cinerei, foliosi.

Folia sparsa, conferta, ut plurimum bipollicaria, breviter petiolata, hinc erecta, inde deflexa, plana, lanceolata, acumine uncinato, supra nitida, venosa, subcoriacea, serrata : serraturis acumine minimo, atro, deciduo terminatis.

Petioli planiusculi, subcontorti.

Flores axillares, congesti, sex, septem, pluresve, parvi, breviter pedicellati, bracteis subrotundis, concavis, minimis, purpureis, et lanugine brevissimâ rubicundâ distincti : *hermaphroditi masculi* femineis paulò majores.

Calyx minimus, quinquepartitus : *laciniis* subrotundis, concavis, inferus, persistens.

Petala quinque, obovata, concava, patenti-reflexa, calyce triplò majora, albido-purpurascentia.

Discus nectariferus, planus, luteus in centro floris.

Filamenta quinque, subulata, plana, margini disci inserta. *Antherae* corollae longitudine, ovatae, biloculares, erectae, basi vix excavatae, luteae.

Germen subrotundum. *Stylus* staminibus brevior. *Stigma* bifidum, rarius trifidum, marcescens.

Capsula turbinata, luteo-crocea, bilocularis, rarius trilocularis, apice bi-trivalvis : *valvulis* coriaceis, patenti-reflexis, medio septiferis.

Semina solitaria, obscurè rubra, nitida, oleosa, arillo rubro subobvoluta.

Obs. 1. Capsulae plures monospermae. Stigma unicum.

Obs. 2. Genus *Maytenus* Molinae et Jussiei retinere non licet.

Habitat in *Regni Chilensis* campis et arvis.

Floret Octobri, et Novembri.

Vernacule Maytén et *Magthum.*

Vires et Usus : Decoctum aut folia contusa admirabile antidotum sunt adversus eruptiones cutaneas ab umbra, vapore et fumo *Schini Lithre* provenientes. Incolae Pharmacopolaeque foliorum infusionem ad alvum detergendam pro foliis Sennae usurpant. Ex seminibus contusis per expressionem elici potest copiosum oleum, quod ad varios usus aeconomicos perutile esse censemus. Lignum durissimum est, et aurantii variegati coloris. Bobes foliis jucunde pascuntur.

Explic. Icon. a *Ramulus herm. fem.* 1 Flos integer, erectus. 2 Idem patens. 3 Petalum. 4 Flos absque petalis. 5 Pistillum : *omnia aucta.* 6 Capsula cum calyce, trilocularis. 7 Eadem bilocularis. 8 Capsula trilocularis aperta. 9 Eadem bilocularis. 10 Semina intra arillos. 11 Arillus. 12 Semen. A *Ramulus herm. masc.* 1 Flos integer auctus.

CELASTRUS MACROCARPOS. Icon. CCXXX. *Fig. b.*

5. C. foliis oblongo-lanceolatis integerrimis acumine emarginato, floribus aggregatis.

Frutex triorgyalis, glaber, polygamus, dioicus.

Caulis erectus, teres, parum frondosus.

Rami remoti, teretes, fusci coloris: *teneri* angulati.

Folia alterna, remota, breviter petiolata, oblongo-lanceolata, integerrima, acumine emarginato, coriacea, plana, supra dorso elevato, nitida, subtus albidiuscula, ut plurimum bipalmaria.

Petioli incurvi, semicontorti, bilineares.

Flores axillares, plurimi, aggregati, minimi, pedicellati.

Pedicelli brevissimi, inaequales, graciles, uniflori.

Calyx inferus, minimus, quinquedentatus, patens, coloratus: *denticulis* deciduis, basi persistenti.

Petala quinque, albida, obovata, patentia, marginibus reflexis, supra convexa.

Discus nectariferus planus, germen ambiens, lutescens.

Filamenta quinque, subulata, erecta, inter discum et petala receptaculo inserta, petalis breviora. *Antherae* ovato-cordatae, subdydimae, erectae, luteae, biloculares.

Germen minimum, ovatum, disco semimmersum. *Stylus* nullus. *Stigma* obtusum, plerumque simplex, rarius 2-3emarginatum.

Capsula obovata, saepius monosperma, bivalvis, rarius 2-3sperma, rarissimè tetrasperma, 2-3valvis: *valvulis* medio leviter septiferis, patulis, marginibus incurvatis.

Semina oblonga, oleaginosa; *arillo* albo, pulposo, fissili subinvoluta.

Habitat in *Muña* et *Chacahuassi* nemoribus.

Floret, et fructificat à Junio ad Novembrem.

Obs. 1. Sapor foliorum acidus.

Obs. 2. Ex seminibus oleum per expressionem elici potest.

Obs. 3. Nuperrimis observationibus innixi, quas in nostris adversariis evolvimus, et hujus Speciei speciminum exsiccatorum collatione edocti, plane recognoscimus, Genus *Haenkea* in Prodromo et in Vegetabilium Systemate proditum ex hac eadem plantâ constitutum fuisse, quam nunc sub *Celastri* Genere collocamus, nomen *Haenkea* ad aliud novum Genus designandum usurpantes.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Petala. 4 Pistillum cum disco. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Capsula aperta cum seminibus intra arillos. 8 Eadem absque seminibus cum arillis. 9 Semina arillis involuta. 10 Semina nuda.

HAENKEA.

CHARACTER GENERICUS NATURALIS.

Cal. *Perianthium* nullum, nisi squamae duae infra germen: *exteriori* ovatâ, angustiore; *alterâ* bilobâ; lobis ovatis, obtusiusculis.

Cor. supera, urceolata. *Tubus* cylindraceus. *Limbus* quinquepartitus: *laciniis* acutis, revolutis, ad antherarum insertionem villosis.

Stam. *Filamenta* nulla. *Antherae* quinque, sessiles, fauci corollae infra ejus lacinias affixae, ovatae, basi leviter emarginatae, trisulcae, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscentes, ex harum insertione nervis quinque ad basim corollae decurrentibus.

Pist. *Germen* inferum, obversè conicum, coronatum corpore fungoso, supernè decemradiato, infernè quinquesulcato. *Stylus* tubi corollae longitudine, trisulcus. *Stigma* trigonum.

Per. *Drupa* turbinata, monosperma.

Sem. *Nux* obovata, trilocularis. *Nuclei* obovati.

Obs. 1. Plures tetrandri reperiuntur flores, quorum corolla quadrifida, stylus bisulcus, stigma digonum, et nux bilocularis.

Obs. 2. Plantam, ex qua Genus formavimus, cui in Prodromo *Haenkeae* nomen indigitatum est, accuratius recognitam inter Celastri species in hoc Volumine recensemus: et novum verè Genus ejusdem clar. viri nomini nunc adscribere operae pretium ducimus.

HAENKEA FLEXUOSA. Icon. CCXXXI. *Fig. a.*

1. H. ramis flexuosis, foliis ovato-lanceolatis acutis, petiolis contortis, racemis axillaribus.

Frutex triulnaris, glaber.

Caulis teres, cinereo-fuscus, ramosus.

Rami longi, diffusi, flexuosi, teretes: *teneri* subangulati.

Folia alterna, breviter petiolata, ovato-lanceolata, acuta, undulata, subavenia, crassiuscula, integerrima.

Petioli bilineares, contorti, supra canaliculati.

Racemi axillares, solitarii geminique, simplices, petiolis triplò longiores.

Flores breviter pedicellati, bracteâ ovatâ, minimâ, acutâ, marcescente suffulti.

Corolla lutescens.

Drupa ciceris magnitudine, nigrescens.

Habitat in *Andium* montibus ad *Pillao* et ad vicum *Sancti Antonii de Playa grande.*

Floret Julio, et Augusto.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Corolla. 3 Eadem longitudinaliter scissa, antheras exhibens. 4 Eadem aucta. 5 Anthera aucta. 6 Pistillum cum squamis. 7 Idem auctum. 8 Corpus fungosum. 9 Drupa cum squamis. 10 Nux transversim secta. 11 Nucleus.

VILLARESIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 35.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* minimum, pentaphyllum: *foliolis* sub-

rotundis, concavis, marginibus sibi invicem incumbentibus : inferum, deciduum.

Cor. *Petala* quinque, oblonga, interius dorso longitudinali, patentia, extus subcarinata.

Stam. *Filamenta* quinque, subulata, patula, longitudine ferè corollae, receptaculo inserta. *Antherae* erectae, subcordatae, biloculares.

Pist. *Germen* ovatum, superum, parvum. *Stylus* subulatus, declinatus, brevis. *Stigma* capitatum, truncatum.

Per. *Drupa* ovata, unilocularis.

Sem. *Nux* ovata, septo intermedio cochleato notata. *Nucleus* septo intermedio nucis semibifidus.

VILLARESIA mucronata. Icon. CCXXXI. *Fig. b.*

1. V. foliis ovatis oblongisque mucronatis.

Arbor procera, comâ frondosâ, quodammodo Citri facie.

Truncus erectus, teres, crassus.

Rami teretes : *teneri* leviter angulati, glabri.

Folia sparsa, conferta, breviter petiolata, ovata oblongaque, mucronata, coriacea, utrinque venosa, glaberrima, supra nitida, subtus pallescentia : in ramis adultis integerrima ; in teneris, et in arboribus junioribus dentato-spinosa.

Petioli bilineares, basi crassiores, contorti, supra plani.

Racemi terminales et ex axillis superioribus, solitarii, rarius bini ternique, bipollicares, compositi, leviter pubescentes.

Pedunculi 2-4driflori, bracteolis ovatis, concavis, minimis sustentati.

Flores sessiles, fragrantes, Syringae vulgaris odorem aemulantes.

Calyx luteus, pubescens.

Corolla albido-lutea, calyce quadruplò major.

Drupa parva, Lauri nobilis magnitudine.

Habitat in *Conceptionis Chile* silvis.

Floret Septembri, et Octobri.

Vernacule Guillipatagua, id est *Arbor Castoris Huidobrii*. Molinae *Guillin*, sive *Guillino* nuncupati.

Usus : Ex ligno asseres et trabes optimas incolae ad varios usus eliciunt.

Obs. Ad venarum basim plurimorum foliorum foveolae aliquot ab insectis fortasse provenientes observantur. Arbor pulcherrima et frondosissima, ad ambulacra ob viriditatem et formam valde expetenda. Incolae superstitiose sibi persuadent, hernia laborantes si modo hujus arboris truncum pedibus pulsaverint, sanari ipsos, arborem verò tabescere.

Explic. Icon. 1 Flos patens. 2 Idem erectus. 3 Calyx magnitudine naturali. 4 Calyx auctus. 5 Petalum. 6 Idem auctum. 7 Stamina. 8 Stamen auctum. 9 Pistillum. 10 Idem auctum.

CEDRELA. Linn. *Gen. pl. p.* 151.

CEDRELA odorata.

1. C. paniculis nutantibus, foliis abruptè pinnatis, foliolis ovato-lanceolatis acutis.

Cedrela (*odorata*) floribus paniculatis. Linn. *Sp. pl. Reich. p. 562.*

Cedrela foliis pinnatis, floribus laxè racemosis, ligno levi odorato. Brown. *Jamaic. 158. tab. 10. f. 1.*

Arbor procera, frondosissima, glaberrima.

Truncus erectus, cinereo cortice tectus.

Rami teretes.

Folia sparsa, bipedalia, abruptè pinnata, acumine subulato : *foliola infima* plerumque minora, aliquando majora, opposita alternaque, ovato-lanceolata, acutissima, integerrima, petiolata, altero latere dilatata, venosa, venis subhorizontalibus, bi-sexpollicaria et ultra.

Petioli *communes* semiteretes, leviter trisulcati, basi incrassati ; *partiales* canaliculati.

Racemi maximi, paniculati, nutantes.

Pedunculi remoti, divisi.

Pedicelli triflori, bracteolis subulatis stipati.

Petala albido-lutescentia.

Capsula fusca, apice dehiscens, quinquevalvis, turbinata, granulosa.

Semina exsucca, ad apicem capsulae, infernè alâ fulvâ aucta.

Receptaculum obscurè fulvum.

Habitat copiosè in nemoribus *Pozuzo*, *Panao*, *Chinchao*, et in hortis *Limae*, *Surco* et aliorum oppidorum, et in horto R. Matritensi laete in caldario vegetat. In nemoribus *Pozuzo* arbores crasissimae et frondosissimae sponte veniunt.

Floret Januario, et Februario.

Vernacule Cedro.

Usus : Lignum odoratum, leve, ad varia utensilia perutile.

Obs. Plantae juniores odorem allio similem spirant.

BUTTNERIA. Linn. *Gen. pl. p.* 145.

BUTTNERIA cordata.

1. B. foliis cordatis inermibus, pedunculis subternis inaequalibus septemfloris.

Buttneria (*cordata*) foliis cordatis acuminatis serratis subtus pubescentibus, petiolis inermibus. Lamarck. *Dict. tom. 1. p. 523.* Cavanill. *Diss. 5. p. 291. t. 150.*

Frutex triulnaris, aculeatus, (Rubi fruticosi ramis et aculeis facie).

Caulis ramosissimus, erecto-patulus, quinqueangulatus, asper, angulis aculeatus.

Rami diffusi, longissimi, consimiles : *teneri* pubescentes, angulis lutescentibus.

Aculei sparsi, recurvi, purpurascentes.

Folia alterna, petiolata, patentia, post meridiem nutantia, cordata, acuta, serrata, serraturis cum parvo acumine, subtus venosissima, pubescentia, 7-9 nervia, inermia.

Petioli semiteretes, inermes, supra leviter sulcati, pubescentes, ad apicem plerumque purpurei.

Stipulae subulatae, patentiusculae, marcescentes, deciduae.

Pedunculi axillares, plerumque laterales, terni, aut plures, inaequales, nutantes, teretes, filiformes, pubescentes, patentes, septemflori : *superiores* foliis longiores; *inferiores* breviores.

Flores umbellati, pedicellati, involucrati.

Pedicelli teretes, graciles.

Involucrum heptaphyllum : *foliolis* minimis, subulatis, marcescentibus.

Calyx extus pubescens, luteo-viridis, ante explicationem pentagono-pyramidalis, profunde quinquefidus: *laciniis* semilanceolatis, acutis, patentissimis, inferus, deciduus.

Petala quinque, oblonga, brevia, albicantia, conniventia, concava, tandem patentissima, supernè latiora, terminata in setam longam, luteam, subulatam, basi supra nectarium recumbentem, postea erecto-patulam, calyce duplò longiorem, duobus denticulis ad setae latera reflexis.

Nectarium campanulatum, quinquefidum, extus denticulis quinque, staminibus alternantibus, notatum, membranaceum, germen ambiens.

Filamenta quinque, brevissima, extra nectarium, infra ejus incisuras inserta. *Antherae* subrotundae, didymae, bisulcae, biloculares, utrinque sulcis dehiscentes.

Germen superum, subrotundum, sessile, quinqueangulare, punctis exasperatum. *Stylus* brevis, quinquestriatus. *Stigma* parvum, pentagonum.

Capsula subrotunda, decemstriata, pentacocca, muricata, quinquelocularis, quinquevalvis : *valvulis* ultra medium bifidis.

Semina solitaria, ovata, obtusè trigona, acumine rostrato, torosa, punctis minimis exasperata, gibbositate obsoletè bisulca.

Habitat in Provinciae *Chancay* sepibus ad *Torreblanca* praedium et *Huaral* vicum.

Floret Julio, et Augusto.

Vulgo : *Yerba de la Araña.*

Usus : *Incolae* ad morsus aranearum foliis contusis utuntur, unde nomen accepit.

BUTTNERIA sulcata.

2. B. foliis cordato-ovatis serratis, costâ petiolisque aculeatis, pedunculis geminis tri-quinquefloris.

Frutex biulnaris, (Rubi fruticosi ramis et aculeis habitu), pubescens.

Caulis erectus, ramosus, pentagonus, quinquesulcatus, aculeatus.

Rami sparsi, consimiles, lividi, diffusi.

Aculei sparsi, recurvi, breves, purpurei.

Folia sparsa, petiolata, cordato-ovata, acumine obliqüo, obtusè serrata, pubescentia, nitidiuscula, venosa, subtrinervia.

Petioli supra bisulci.

Stipulae oppositae, subulatae, curvatae, deciduae.

Pedunculi laterales, declinati, gemini, tri-quinqueflori, bracteolis totidem, subulatis, deciduis involucrati.

Calyx ante floris explicationem pentagonus, pyramidalis, extus viridis, intus atropurpureus, profundè quinquefidus : *laciniis* ovatis, acutis, reflexis.

Petala linearia, usque ad medium viridia et conniventia, medio latiuscula, extrorsum recurva, prominentiâ dentiformi utrinque aucta, supernè angustata, patentia, in lingulam lanceolatam, crassam, atro-purpuream terminata, laciniarum calycis longitudine.

Nectarium campanulato-cyathiforme, calyce duplò brevius, quinquefidum : *laciniis* acutis, denticuliformibus, recurvis, nitidis.

Filamenta vix manifesta. *Antherae* quinque, sessiles, subrotundae, didymae, bisulcae, biloculares, sulcis utrinque dehiscentes, extra nectarium infra ejus incisuras affixae.

Semina ovata.

Reliqua, ut in praecedenti.

Habitat in *Peruviae* praeruptis calidis ad *Quive*, Provinciae *Cantae* vicum.

Floret Majo, et Junio.

BUTTNERIA hirsuta.

3. B. foliis cordatis acutis crenatis, costâ petiolisque aculeatis, pedunculis congestis compositis.

Frutex biorgyalis, (Rubi fruticosi ramis et aculeis habitu), hirsutissimus.

Caulis ramosissimus, erecto-patulus, quinqueangulatus, angulis valde aculeatus.

Rami consimiles, sparsi, diffusi, longi.

Aculei sparsi, breves, recurvati, lutescentes.

Folia alterna, petiolata, patentia, cordata, acuta, crenata, crenaturis acuminatis, septemnervia, nervis venosis, subtus densè hirsuta, mollissima, palmaria et ultra, per nervos aculeis nonnullis obsita.

Petioli semipollicares, aculeati, supra leviter sulcati.

Stipulae subulatae, oppositae, deciduae.

Pedunculi laterales, congesti, inaequales, simplices et compositi, multiflori, filiformes, petiolis triplò longiores.

Flores umbellati, pedicellati, involucrati.

Pedicelli capillares, inaequales.

Involucrum polyphyllum : *foliolis* minimis, subulatis, deciduis, inaequalibus.
Petala à medio ad basim lutescentia, supernè purpurea.
Reliqua, ut in praecedentibus.
Habitat in *Andium* montibus versùs *Pillao* fruticeta.
Floret Augusto, et Septembri.

AYENIA. Linn. *Gen. pl. p.* 145.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* inferum, à germine remotum, quinquepartitum : *laciniis* lanceolatis, acutis, reflexis, marcescentibus.
Cor. *Petala* quinque, apice connexa nectario in stellam planam : *Ungues* capillares, longissimi, in coronae formam arcuati : *Laminae* obcordato-triangulares, supra convexae, subtus concavae.
Glandulae quinque, staminiformes, erectae, clavatae; singulae singulo disco uniuscujusque petali ad apicem laminae insidentes.
Nectarium cyathiforme, columnae cylindricae, erectae insidens, quinquefidum ; *laciniis* ovatis.
Stam. *Filamenta* quinque, brevissima, singulum sub singula lamina petalorum circa crenam insertum, petalis recondita. *Antherae* deflexae, didymae, subrotundae.
Pist. *Germen* pedicellatum, quinqueangulare. *Stylus* subulatus, brevis. *Stigma* quinquecrenatum.
Per. *Capsula* subrotunda, depressa, quinquesulcata, muricata, pentacocca, quinquelocularis, elasticè dehiscens, quinquevalvis : valvulis bifidis.
Sem. solitaria, ovata, acumine rostrato, gibbosa, torulosa, subtrigona.

AYENIA pusilla.

1. A. foliis ovatis ovalibusque argutè serratis, caulibus prostratis.
Urticaefolio anomala, flore pentaphyllo purpureo, fructu pentacocco muricato. Sloan. *Jam. Hist. I. p. 209. t. 132. f. 2.*
Ayenia (*pusilla*). Linn. *Sp. plant. vol. 4. p. 45.*
Ayenia (*pusilla*) caule fruticoso subprostrato : foliis ovatis serratis glabris. Cavanill. *Dissert. 5. p. 289. tab. 147.*
Planta suffruticosa, (Poterii sanguisorbae habitu).
Radix subfusiformis, fibrillis nonnullis, longa, extus fusca, lignosa.
Caules plurimi, teretes, prostrati, semipedales et ultra, diffusi, inaequales, ramosi.
Rami consimiles, pubescentes.
Folia alterna, ovata ovaliaque, nonnulla subcordata, glabra, nitida, argutè serrata ; serraturis setulâ unâ duabusve terminatis.
Petioli lineares, pubescentes, subteretes.
Stipulae subulatae.
Flores axillares, 2-5, declinati, alternatim praecociores, pedicellati.
Pedicelli longitudine petiolorum.
Calyx viridi-purpurascens.
Petala et *Nectarium* purpurea.
Antherae luteae.
Capsula pallescens, muricata.
Semina fusca.
Habitat in *Peruviae* praeruptis calidis, passim in *Huanuci* arvis et ruderatis.
Floret Septembri, Octobri et Novembri.

SAUVAGESIA. Linn. *Gen. pl. p.* 157.

SAUVAGESIA erecta.

1. S. caule ramosissimo procumbente erectoque, foliis lanceolatis serrulatis lineatis, floribus subternis.
S. (*erecta*). Jacq. *Americ. pict. 41. tab. 77.*
S. (*erecta*) foliis oblongis, angustis, floribus solitariis, brevi pedunculo insidentibus. Aubl. *Guian. p. 254. tab. 100. fig. b.*
Planta perennis.
Radix fibrosissima.
Caules plures, procumbentes erectique, pedales, ramosi, angulati, graciles, dum procumbunt radicantes.
Rami consimiles.
Folia sparsa, breviter petiolata, lanceolata, supra lineata, serrulata, utrinque glabra, patentia.
Stipulae oppositae, subulatae, ciliatae, ciliis longis numerosis, persistentes, dilutè ferrugineae.
Pedunculi axillares, plerumque 2-4, aliquando solitarii, uniflori, tenues, supernè incrassati, inaequales, quadrangulares; in flore erecti, in fructu cernui, semipollicares.
Calyx pentaphyllus : *foliolis* lanceolatis, concavis, acuminatis, acumine subulato, marginibus scariosis ad apicem extus rubescentibus, in flore patentibus, in fructu erectis, sibi invicem incumbentibus ; inferum, persistens.
Petala quinque, albido-purpurascentia, ovato-lanceolata, breviter unguiculata, aequalia, calycis longitudine.
Nectarium duplex ; *exterius* pilis plurimis, rubris, orbiculatim positis, apice capitato-triquetris, nectario interiori duplò brevioribus ; *interius* foliolis quinque, linearibus, emarginatis, erectis, petalis alternantibus duplò brevioribus, basi rubris, supernè albicantibus.
Filamenta quinque, brevissima, linearia, receptaculo inserta. *Antherae* lineares, tetragonae, quadrisulcae, acuminatae, erectae, biloculares, nectarii interioris ferè longitudine, apice utrinque rimâ dehiscentes.
Germen ovatum, obtusè trigonum, superum. *Stylus* simplex, filiformis, longitudine nectarii interioris, trigonus. *Stigma* simplex, obtusum, trigonum.
Capsula ovato-pyramidalis, trisulca, striata, stylo per-

sistente acuminata, trilocularis, apice ad medium usque trivalvis: *valvulis* marginibus à basi usque ad medium introflexis, dissepimenta conficientibus.

Semina plurima, obovata, minima, punctis excavatis, valvularum marginibus, receptacula constituentibus, inserta.

Habitat in *Cuchero*, *Chinchao*, *Pillao* ad *Iscutunám* et *Papato* runcationibus.

Floret à Majo ad Octobrem.

Vulgo: *Yerba de S. Martin.*

Vires et Usus: Incolae, decocto et infusione ad apostemata interna depellenda, et adversus pectoris affectiones frequentissimè utuntur.

Obs. Icones Jacquinus et Aubletius parum exactas tradiderunt, quare in Supplemento, quod ad Operis calcem evulgare animus est, Iconem exactiorem dabimus.

RIBES. Linn. *Gen. pl. p.* 154.

RIBES macrobotrys. Icon. CCXXXII. *Fig. a.*

1. R. inerme, racemis longissimis pendulis hirsutis, foliis cordatis lobatis inciso-serratis, petiolis basi ciliatis.

Frutex quadriorgyalis.

Caulis erectus, ramosus, teres, glaber, gracilis.

Rami diffusi, penduli, teretes, cinerei: *teneri* glabri, nitidi, fulvescentes, cicatricibus subanularibus notati.

Folia (Vitis viniferae habitu), ex ramulorum extremitatibus prodeuntia, cordata, 5-7lobata: *lobis* inciso-serratis, intermedio majori, serraturis duplicatis, setâ glanduliferâ rubicundâ terminatis, subtus 5-7nervia, nervis rubris, lateralibus obsoletioribus, venosissima, utrinque pubescentia, praecipuè per nervos et venas.

Petioli subimbricati, semiamplexicaules, teretes, bipollicares, leviter sulcati, basi alâ membranaceâ ciliatâ dilatati: *ciliis* longis, glandulâ rubrâ terminatis.

Racemi terminales, solitarii, simplices, subpedales, densè hirsuti, purpurei: *villis* incanis, aliis rubicundis glanduliferis intermixtis.

Pedicelli graciles, totidem bracteolis lineari-subulatis, rubris, ciliatis, glanduliferis, pubescentibus, longitudine ferè pedicellorum stipati; in flore erecti, postea recurvi; *bracteolis* duabus, subulatis, parvis, rubris sub singulo germine.

Calyx pubescens, glandulifer, ruber.

Petala minima, rubra.

Bacca globosa, obscurè pentagona, Ciceris magnitudine, hirsuta, viridis.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Huassahuassi* tractus, in praeruptis calidis.

Floret Novembri, et Decembri.

Explic. Icon. 1 Flos cum bractea. 2 Idem scissus, petala, stamina et pistillum ostendens. 3 Petalum. 4 Stamen. 5 Pistillum. 6 Bacca. 7 Semina.

RIBES albifolium. Icon. CCXXXII. *Fig. b.*

2. R. inerme, racemis foliis duplò longioribus, foliis subcordatis trilobis inciso-serratis, petiolis ciliatis.

Frutex biulnaris.

Caulis erectus, parum ramosus, teres, fusco-nigrescens.

Rami sparsi, erecti, breves, teretes, vix divisi, nigrescentes, per intervalla incrassati cicatricibus foliorum anularibus, nudi, apice tantum foliosi.

Folia fasciculata, ovata, leviter cordata, triloba, nonnulla quinqueloba, tri-quinquenervia, rugosa, venoso-lineata, inciso-serrata, serraturis duplicatis, purpurascentibus, setulâ glanduliferâ terminatis, supra glabra, nitida, obscurè viridia; subtus albida, leviter pubescentia, praecipuè per venas; venis purpurascentibus.

Petioli semipollicares, teretes, hirsuti, foliis dimidio breviores, basi membranoso-alati, ciliati, ciliis glanduliferis.

Racemi terminales, solitarii, filiformes, dependentes, simplices, hirsuti, villis albis, aliis rubicundis glanduliferis intermixtis, purpurei, foliis duplò longiores.

Pedicelli breves, tenues, bracteâ membranaceâ, spathulatâ, ciliatâ, ejusdem longitudinis ad basim suffulti; ad apicem bracteolis duabus, oppositis, consimilibus stipati.

Calyx purpureus, villosus, intus lutescens.

Petala purpurascentia, subrotunda.

Antherae subsessiles, luteae.

Bacca subrotunda.

Habitat in nemoribus *Muña* ad *Tambo nuevo* locis frigidis, et in *Marainioc* prope vicum *Vitoc.*

Floret à Julio ad Octobrem.

Explic. Icon. 1 Flos cum bractea. 2 Idem scissus petala, stamina et pistillum exhibens. 3 Petalum. 4 Stamen. 5 Pistillum. 6 Bacca. 7 Semina.

RIBES punctatum. Icon. CCXXXIII. *Fig. a.*

3. R. inerme, racemis pendulis brevibus, foliis trilobis serratis subtus punctatis.

Frutex orgyalis.

Caulis erectus, ramosus, teres.

Rami virgati, consimiles.

Folia fasciculata sparsaque, triloba, lobis ovatis, obtusis, intermedio productiore, serrata, serraturis obtusis; supra nitida, leviter pubescentia; subtus trinervia, obsoletè venosa, punctata, punctis aureis, resinosis notata.

Petioli teretes, semipollicares, basi latiores.

Squamae gemmarum imbricatae, membranaceae, obovatae, scariosae, fulvae; *exteriores* gradatim minores, ciliatae, deciduae: nonnullae in folia productae.

Racemi axillares, simplices, solitarii, bipollicares.

Pedicelli bracteâ oblongâ, punctatâ, ciliatâ, acuminatâ, membranaceâ stipati.

Bracteolae duae, oppositae, consimiles ad apicem singuli pedicelli.
Calyx flavus, punctatus.
Petala minima, flava.
Bacca rubra, punctata.
Habitat in *Conceptionis Chile* collibus.
Floret Septembri, et Octobri.
Obs. Affine Rib. alpino.
Explic. Icon. 1 Flos integer cum bracteis. 2 Idem absque bracteis longitudinaliter scissus, petala, stamina et pistillum manifestans. 3 Bacca. 4 Semina.

RIBES glandulosum. Icon. CCXXXIII. *Fig. b.*

4. R. inerme, racemis brevibus, foliis cordatis obtusè trilobis duplicato-serratis rugosis.
Frutex biorgyalis, glandulosus.
Caulis erectus, teres, cinereo-fuscus, ramosus.
Rami consimiles.
Folia fasciculata, postea alterna, cordata, trinervia, venosa, rugosa, triloba; lobis obtusis, duplicato-serratis, brevibus, lobo intermedio majori; supra glabra, subtus pubescentia; villis glanduliferis, rubris.
Petioli teretes, basi utrinque dilatati, ciliati, foliorum ferè longitudine.
Squamae gemmarum imbricatae, lanceolatae, acuminatae, ciliatae, scariosae, fulvescentes.
Racemi terminales axillaresque, simplices, foliis duplò longiores, filiformes.
Pedicelli brevissimi, bracteâ spathulatâ acutâ, denticulatâ, glanduliferâ, calycis ferè longitudine, ad basim pedicelli stipati.
Bracteolae duae, lanceolato-lineares, ad apicem pedicellorum.
Calyx glandulosus, rubescens.
Petala lutea, minima.
Habitat in collibus silvaticis *Chile.*
Floret Julio, et Augusto, initio veris.
Explic. Icon. 1 Flos integer cum bracteis. 2 Idem scissus, corollam et genitalia ostendens. 3 Bacca. 4 Semina.

RIBES cuneifolium. Icon. CCXXXIII. *Fig. c.*

5. R. inerme, pedunculis bi-trifloris, foliis cuneiformibus incisis.
Frutex biulnaris, ramosissimus, inermis.
Caulis erectus, teres, fuscus.
Rami consimiles: *juniores* virgati, purpurascentes, angulati, nitidi, leviter pubescentes.
Folia fasciculata, inaequalia, tandem sparsa, parva, cuneiformia, inciso-trifida; laciniis crenatis; crenulis obtusis acuminatisque, triplinervia, supra nitida, utrinque glabra, margine leviter pubescentia.
Petioli foliis dimidio breviores, plani, basi dilatati, ciliati.
Squamae gemmarum membranaceae, ovatae, obsoletè ciliatae, caducae.
Pedunculi ex punctis gemmaceis, solitarii, axillares, petiolorum longitudine, bi-triflori, pubescentes.
Bracteolae duae, lanceolatae, ciliatae, membranaceae ad basim singuli floris.
Calyx ruber, pubescens.
Bacca pisi magnitudine, nitida, dilutè rubra, acido-dulcis.
Semina lentiformia, altero latere convexiora.
Habitat in *Peruviae Andium* alpibus, vulgo *Punas*, ad *Diezmo* praedium, in locis apricis.
Floret Majo, et Junio.
Explic. Icon. 1 Bacca. 2 Semina.

RIBES viscosum.

6. R. inerme, racemis brevibus, foliis cordatis quinquelobis serratis asperis viscosis.
Frutex triulnaris.
Caulis erectus, teres, scaber, ramosus.
Rami consimiles, subdependentes.
Folia alterna, cordata, quinqueloba, serrata, aspera, viscosa, quinquenervia, valde venosa.
Petioli teretes, pollicares, basi dilatati, membranacei, semiamplexicaules.
Racemi terminales, solitarii, simplices.
Pedicelli breves, bracteâ lanceolatâ, concavâ longitudine calycis stipati.
Bracteolae duae, consimiles sub singulo flore.
Calyx flavus.
Petala flavescentia.
Bacca dilutè purpurea, parva.
Habitat in *Peruviae* praeruptis in *Tarmae* Provincia, ad *Tarmatambo* terminum.
Floret Septembri, Octobri et Novembri.

STEREOXYLON patens. Icon. CCXXXIV. *Fig. b.*

1. S. foliis obovatis venosis denticulato-glandulosis, pedunculis unifloris, petalis spathulatis.
Escallonia (*myrtilloides*) foliis serrulatis mucronulatis subtus venosis. Smith. *plant. Icon. fasc. 2. p. 30. ic. 30.*
Frutex quadriorgyalis, ramosissimus.
Truncus erectus, rimosus: *Lignum* dilutè purpurascens, à cortice exteriori denudatum. *Cortex* interior purpurascens.
Rami patentissimi, subangulati: *Ramuli* alterni, sursum spectantes, inferne nudi, scabri, extremitate foliosi, valde resinosi.
Folia confertissima, sparsa, breviter petiolata, obovata acumine brevissimo, venosa, ad basim marginibus reflexis, denticulato-glandulosis, supra nitida, utrinque glabra.

Petioli canaliculati, utrinque denticulato-glandulosi.
Pedunculi terminales, solitarii, uniflori, cernui, ad medium bifolii, punctis glandulaeformibus adspersi.
Calyces campanulati, patentes: *laciniis* acutis, argutè denticulatis.
Petala alba, spathulata, veluti urceolum formantia, apice reflexo, virescenti.
Stamina arcuata. *Antherae* incumbentes.
Germen prominentiâ decangulari coronatum. *Stylus* striatus, persistens. *Stigma* peltatum, rimâ pervium, in fructu bilobum.
Capsula depressa.
Habitat in collibus frigidis montuosis *Pillao*, et *Muña*.
Floret Junio, et Julio.
Vernacule Tassta nuncupatur.
Obs. Lignum durissimum ad manubria et alia utensilia conficienda perutile est. *Summitates* ramulorum contusae ad fracturas consolidandas valent. *Folia* amaro sapore praedita sunt.
Explic. Icon. 1 Petalum. 2 Stamina. 3 Pistillum. 4 Capsula calyce et stylo coronata, rimas demonstrans. 5 Semina.

STEREOXYLON corymbosum. Icon. CCXXXIV. *Fig. a.*

2. S. foliis oblongis serrulatis, pedunculis unifloris, calycibus denticulatis, petalis oblongis.
Arbor tristis, (facie Myrti) quadriorgyalis.
Truncus erectus, rimosus, ramosissimus. *Lignum* et Cortex interior albicans.
Rami confertissimi, horizontaliter patentes, in corymbi formam: *ramuli* confertissimi, erecti, infernè nudi, rubiginoso-atri, supernè foliosi, granulis glandulaeformibus adspersi, resinosi.
Folia confertissima, subopposita, petiolata, oblonga, glabra, avenia, supra nitida, serrulata, petiolata.
Petioli canaliculati, utrinque denticulato-glandulosi.
Pedunculi terminales, solitarii, brevissimi, erecti. *Foliolum* lanceolatum, sub calyce ipsi adpressum.
Calyx campanulatus; *laciniis* erectis, denticulatis.
Petala oblonga, alba, patenti-reflexa.
Stamina erecta. *Antherae* incumbentes.
Stylus striatus, persistens. *Stigma* peltatum, rimâ pervium, in fructu bilobum.
Capsula depressa.
Habitat in collibus montuosis, altissimis, frigidissimis, pluviosis *Muña* ad *Tambo nuevo*.
Floret Augusto, et Septembri.
Vernacule Siuba nuncupatur.
Lignum durissimum. fumosissimum, vix inflammabile.
Folia sapore amaro praedita.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Petalum. 4 Stamina. 5 Pistillum. 6 Capsula cum calyce rimas ostendens. 7 Semina.

STEREOXYLON virgatum. Icon. CCXXXV. *Fig. b.*

3. S. foliis obovato-spathulatis serrulatis, pedunculis unifloris, calycibus denticulatis, petalis obovatis.
Frutex biulnaris.
Caulis infernè ramosissimus, erectus, rimaceus, teres.
Rami erecti, virgati, teretes: *ramuli* confertissimi, breves, foliis undique tecti, infernè nudi, cinerei.
Folia confertissima, sessilia, obovato-cuneiforma, acuminata, serrulata, utrinque glabra, avenia, supra nitida.
Pedunculi axillares terminalesque, solitarii, uniflori, brevissimi, erecti: foliolum ad basim calycis.
Calyx campanulatus, patens: *laciniis* acutis, denticulatis.
Petala obovata, patentia, alba, venosa.
Filamenta erecta. *Antherae* incumbentes. *Stylus* persistens. *Stigma* peltatum, bilobum.
Capsula obovata, truncata, per basim rimis duabus dehiscens.
Habitat in montibus et silvis humidis Provinciae *Rere* (alias *Estancia del Rey*) prope *Nacimiento* arcem.
Floret Novembri, et Decembri.
Obs. Ramuli seniores post defoliationem spinas aemulantes.
Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Petalum. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Capsula calyce styloque coronata, rimam alteram manifestans. 6 Semina.

STEREOXYLON resinosum. Icon. CCXXXV. *Fig. a.*

4. S. foliis oblongo-obovatis serrulatis, pedunculis racemosis, petalis obovato-oblongis.
Frutex triorgyalis.
Truncus ramosissimus, rimosus. *Lignum* durissimum, purpurascens. *Cortex* interior leviter purpurascens.
Rami patuli, subdependentes, teretes, rimosi: *Ramuli* purpurascentes, resinâ illiti, angulosi, glandulis subulatis, deciduis adspersi.
Folia sparsa, in ramulis annotinis conferta, sessilia, oblongo-obovata, serrulata, glabra, subtus glauca, venosa, supra nitida, acumine brevissimo.
Racemi terminales, foliosi, compositi, undique glandulis subulatis obsiti.
Pedunculi et Pedicelli foliolis subulatis, glandulosis suffulti: foliola duo, opposita, subulata, minima sub singulo calyce, ei adpressa.
Flores fragrantes.
Calyx campanulatus, quinquedentatus, dentibus integerrimis.
Petala obovato-oblonga, venosa, apice reflexa, alba.
Stamina erecta. *Antherae* incumbentes.
Germen disco vix exserto coronatum. *Stylus* persistens. *Stigma* peltatum, rimâ pervium, in fructu bilobum.
Habitat in *Peruviae* collibus frigidis et praeruptis *Tar-*

mae Provinciae ad *Rondos* et *Huariaca*, et in *Huanuco* ad *Ñauyan*.

Floret Januario, Februario et Martio.

Vernacule in *Huanuci* Provincia *Chachacoma* et *Chachas*.

Vires et Usus : Summitates ramorum contusae ob resinam grati odoris, quâ affluunt, ad partes laxatas roborandas inserviunt.

Lignum valde durum est, et ad varia utensilia conficienda optimum.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Pistillum calyce coronatum. 3 Capsula transversim secta, loculamenta ostendens. 4 Semina.

STEREOXYLON rubrum. Icon. CCXXXVI. *Fig. b.*

5. S. foliis obovato-oblongis acuminatis serratis, pedunculis 2-7floris, petalis spathulatis.

Frutex biorgyalis.

Caulis erectus, ramosissimus, teres. *Cortex* exterior secedens.

Rami consimiles; *teneri* foliosi, villosi, viscosi, glandulis subulatis adspersi.

Folia breviter petiolata, alterna, obovato-oblonga, utrinque attenuata, duplicato aut triplicato-serrata, ad basim marginibus revolutis, denticulis obsoletis, subtus punctis viscoso-resinosis adspersa, venosa, supra nitida, nervo pubescente.

Pedunculi axillares terminalesque, bi-tri-septemflori, villosi, glandulosi, viscosi, rubicundi, foliolis lanceolatis, denticulatis, glandulosis suffulti.

Calyx campanulatus, extus glandulosus: *laciniis* acutis, erecto-patentibus, denticulatis.

Petala spathulata, erecta, in tubum coeuntia, apice patenti-reflexa, rubra.

Nectarium conicum, decangulare, decemdenticulatum, germen coronans, prominulum, basim styli vaginans, rubrum.

Stamina *Filamenta* erecta. *Antherae* oblongae, incumbentes.

Stylus persistens. *Stigma* peltatum, rimâ pervium, tandem subbilobum.

Capsula obovata, ferè urceolata, basi rimis duabus dehiscens.

Habitat in *Regni Chilensis* montibus, praesertim ad *Arauci* arcem, *Colocolo* dictam, inter saxorum fissuras.

Floret Februario, et Martio.

Vernacule nuncupatur *Ñipa*.

Vires : Eaedem ac praecedentium Specierum.

Obs. In hac Specie Nectarium conicum, decangulare, denticulatum, prominulum, basim styli vaginans, germen coronans observavimus.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Petalum. 4 Calyx cum nectario. 5 Nectarium auctum. 6 Stamina. 7 Pistillum cum nectario et calyce. 8 Capsula calyce et stylo coronata. 9 Eadem alteram rimam exhibens. 10 Semina. 11 Semen auctum.

STEREOXYLON revolutum. Icon. CCXXXVI. *Fig. a.*

6. S. foliis obovatis denticulatis revolutis, racemis thyrsoideis, petalis lineari-spathulatis.

Frutex triorgyalis.

Truncus erectus, ramosus.

Rami erecti, angulati, fragiles, villosissimi, medullosi: *seniores* nudi; *teneri* foliosi.

Folia sparsa, breviter petiolata, obovata, obtusa brevi acumine, denticulata, extus marginibus reflexa, utrinque pubescentia, subtus venosa.

Racemi terminales, compositi, thyrsiformes, erecti.

Pedunculi et *Pedicelli* foliolo lineari suffulti. *Foliola* duo, linearia sub singulo calyce.

Calyx campanulatus: *laciniis* subulatis, erectis.

Petala alba, lineari-spathulata, erecta, in tubum coeuntia, supernè patentia.

Filamenta erecta. *Antherae* oblongae.

Germen obovatum, corpore glanduloso, quinquedentato, basim styli vaginante coronatum.

Stylus persistens. *Stigma* peltatum, rimâ pervium, tandem obsoletè bilobum.

Capsula obovata, bilocularis, basi rimis duabus dehiscens.

Habitat in *Regni Chilensis* umbrosis et scaturiginibus prope *Conceptionis* urbem, et ad littora *Coliumo* portus.

Floret à Januario ad Majum.

Vernacule Lun et *Liun* et *Siete Camisas*, quia cortex in laminulas septem, tenues dispescitur.

Folia sapore amaro praedita sunt.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Petalum. 4 Stamina aucta. 5 Capsula stylo calyceque coronata, alteram rimam manifestans. 6 Semina.

STEREOXYLON pulverulentum. Icon. CCXXXVII. *Fig. a.*

7. S. foliis oblongo-ellipticis serrulatis, pedunculis racemoso-spicatis, petalis obovatis.

Frutex biorgyalis.

Truncus erectus, ramosus, teres.

Rami erecti: *juniores* angulosi, foliosi, pubescentes, pulverulenti.

Folia sparsa, breviter petiolata, oblongo-elliptica, serrulata, obtusa brevi acumine, venosa, marginibus extrorsum flexis, utrinque pulverulenta, pubescentia: *tenuiora* resinâ illita.

Racemi simplices, subspicati, erecti, longi, terminales, multiflori, pulverulenti, pubescentes, resiniferi.

Pedicelli foliolo subulato suffulti.

Calyx quinquedentatus, denticulis acutis.
Petala obovata, aliquando sublinearia, venosa, patentia, brevia.
Filamenta erecta. *Antherae* incumbentes.
Germen obovatum, disco dentato minimo coronatum. *Stylus* persistens. *Stigma* bilobum.
Capsula bilocularis, basi rimis duabus dehiscens.
Habitat in *Regni Chilensis* silvis versus *Conceptionis* urbem ad *Carcamo* tractum.
Floret à Septembri ad Decembrem.
Vernacule Mardoño nuncupatur.
Obs. 1. Pulvis ramulorum et foliorum oculis noxius. *Folia* saporem amariusculum praeseferunt.
Obs. 2. Petala aliquando sublinearia, sed plerumque obovata in hac Specie offendimus.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Petala. 4 Calyx cum disco et pistillo. 5 Stamina. 6 Pistillum calyce, discoque coronatum. 7 Capsula calyce et stylo coronata. 8 Eadem alteram rimam manifestans. 9 Semina. 10 Semen auctum.

STEREOXYLON *pendulum*. Icon. CCXXXVII. *Fig. b.*

8. S. foliis lanceolatis acutissimis integris obsoletè serrulatisque, racemis pendulis longissimis, petalis linearibus.
Arbor ferè viginti ulnaris.
Truncus erectus, teres, ramosissimus.
Rami teretes, erecto-patentes, infernè nudi, supernè viscoso-resinosi, foliosi, angulati.
Folia sparsa, petiolata, dependentia, lanceolata, acuta, integerrima, obsoletè serrulata, venosissima, supra nitida, utrinque viscosa, nervo longitudinali superiori sulcato.
Racemi terminales, solitarii, laxi, penduli, simplices, subpedales, viscoso-resinosi.
Pedicelli conferti, uniflori, tenues, inflexi, ad basim foliolo subulato, parvo stipati. *Foliola* duo, similia, alterna in singulo pedicello.
Calyx campanulatus, quinquedentatus: denticulis brevibus.
Petala linearia, erecta, in tubum suburceolatum coeuntia, apicibus reflexis, rubra, per margines lineâ luteâ decurrente notata, calyce quadruplò longiora.
Nectarium: *Margo* brevis, interne calycem ambiens, integer.
Stamina erecta. *Antherae* incumbentes.
Germen subrotundum. *Stylus* persistens. *Stigma* peltatum, rimâ pervium.
Capsula subrotunda, depressiuscula, bilocularis.
Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Muña*, *Chinchao* et *Pillao* vicos.
Floret Augusto, et Septembri.
Vernacule in *Muña Pumachilca*, id est *Leonis Chilca*.
Obs. 1. Lignum rubrum, durissimum, ad varia utensilia valde utile est.
Obs. 2. Nectarium: *Margo* brevis, integra, interius calycem ambiens.
Explic. Icon. 1 Flos absque petalis. 2 Petala. 3 Stamina. 4 Pistillum cum nectario. 5 Capsula calyce, nectario et stylo coronata, rimas ostendens. 6 Semina.

STEREOXYLON *paniculatum*. Icon. CCXXXVIII. *Fig. b.*

9. S. foliis lanceolato-oblongis obsoletè serrulatis, pedunculis racemoso-paniculatis, petalis obovatis.
Frutex triorgyalis.
Truncus erectus, ramosus, teres.
Rami erecti, infernè nudi, supernè angulati, foliosi; *tenuiores* viscoso-resinosi.
Folia sparsa, petiolata, lanceolato-oblonga, obsoletè serrulata, utrinque glabra, viscosa.
Racemi ex axillis superioribus, terminalesque, paniculati, viscoso-resinosi.
Pedicelli foliolis subulatis suffulti: *duo alia foliola* consimilia, minima ad medium singuli pedicelli, alterna.
Calyx campanulatus, quinquedentatus, denticulis brevissimis.
Petala obovata, patenti-reflexa, venosa.
Nectarium: *Margo* vix manifestus, interne calycem ambiens.
Stamina erecta. *Antherae* incumbentes.
Germen subrotundum. *Stylus* persistens. *Stigma* peltatum, rimâ pervium, demum bilobum.
Capsula subrotunda, truncata, bilocularis.
Habitat in *Peruviae* nemoribus *Pillao* ad *Iscutúnam*.
Floret Julio, Augusto et Septembri.
Obs. 1. Lignum durissimum.
Obs. 2. Nectarium: *Margo* minima, interius calycem circumdans.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Petalum. 4 Stamina aucta. 5 Pistillum. 6 Capsula calyce et stylo coronata, alteram rimam manifestans. 7 Semina.

STEREOXYLON *cuneifolium*. Icon. CCXXXVIII. *Fig. a.*

10. S. foliis cuneiformibus serrulatis, floribus corymbosis, petalis obovatis obsoletè crenulatis.
Frutex quadriulnaris.
Caulis erectus, teres, ramosus, fusco-ferrugineus.
Rami consimiles, patuli, cicatriculis scabri.
Folia in ramulis teneris confertissima, sessilia, cuneiformia, serrulata, venosissima, parum rugosa, coriacea, subtus albicantia.
Corymbi terminales, hirsuti, multiflori.
Pedicelli breves, sparsi, hirsuti, bracteolis ovatis, acutis stipati.

Calyx cyathiformis, quinquedentatus : denticulis minimis.

Petala quinque, obovata, usque ad medium erecta, à medio ad apicem deflexa, obsoletè crenulata, alba.

Antherae incumbentes, luteae.

Stigma capitatum, truncatum, umbilicatum, leviter emarginatum.

Capsula turbinata, truncata, stylo terminata.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus altis ad *Chinchao* tractum.

Floret Julio, Augusto et Septembri.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Idem absque corolla. 3 Petalum. 4 Stamen. 5 Pistillum.

ACHRAS. Linn. *Gen. pl. p.* 231.

character genericus reformatus.

Cal. *Perianthium* quinquepartitum : *laciniis* ovatis, concavis, sibi invicem incumbentibus : *exterioribus* latioribus, vix brevioribus : inferum, persistens.

Cor. ovata, calyce longior. *Limbus* quinquefidus : *laciniis* erectis, rotundatis, basi strictis.

Squamae quinque, subulatae, erectae, ad faucem corollae, laciniis ejusdem alternantes.

Stam. *Filamenta* quinque, subulata, planiuscula, brevia, fauci corollae inserta, squamis alternantia. *Antherae* subincumbentes, cordatae, acuminatae, biloculares, utrinque dehiscentes.

Pist. *Germen* ovatum, densè villosum. *Stylus* subulatus, obsoletè striatus, corollâ paulò longior. *Stigma* obtusum, decemstriatum; striis alternis magis prominulis.

Per. *Pomum* mammosum, carnosum, decemloculare, loculis monospermis.

Sem. solitaria, oblongo-reniformia, cicatriculâ longitudinali, oblongâ ad insertionem insculpta. *Nucleus* ejusdem figurae, crustâ osseâ, laevigatâ, nitidâ, fragili tectus.

Obs. 1. Styli et Stigmatis striae, nisi lente vitreâ vix conspiciuntur. Fructûs loculamenta omnia in germinibus aut pomis tenerrimis transversim sectis tantum discernuntur, postea dimidia illorum pars evanescit. Semina 1-2 aut 3 adolescunt, reliqua abortiunt et loculamenta ferè obliterantur. Pomi magnitudo et figura in omnibus Speciebus aliquantulum inter se differunt: in *Achras mammosa* et *Ach. Lucuma* Fructus sunt mammosi, sed in hac saepe ovati, ovato-oblongi, subrotundique reperiuntur : in *Ach. Caimito* semper ovalia Poma offendimus : in *Ach. Sapota* Jacq. tandem globosa in ejusdem icone et descriptione exhibentur. Semina *Ach. Caimito* oblonga; *Ach. Lucumae* oblongo-reniformia, convexo-plana, alioquin subrotunda, nonnumquam utrinque convexa; *Ach. Sapotae* ovata.

Obs. 2. Fructificationis partes *Achras Caimito* quintam demunt partem; *Ach. Sapotae* sextam partem augent.

Obs. 3. Licèt Calyx *Achras* Specierum pluribus foliolis constare videatur, quae sibi invicem incumbunt, omnia quamvis levissime basi coalescunt, et calycem monophyllum, profunde partitum constituunt : quod luculentius animadvertitur in fructu maturo, in quo persistunt plerorumque calycum monophyllorum more ad fructûs decidentiam laciniae minus incumbentes.

Obs. 4. Quamvis Genus *Achras* ad Classem hexandriam Linnaeus redegerit ea de causa quod *Ach. Sapota* sex stamina ferat; diversitas tamen, quam Species ostendunt, si cum illius Classis plantis conferantur, et affinitas cum *Chrysophyllo*, numerique staminum differentia ad hanc quintam Classem utpote magis propriam et naturalem illud revocare nos cogunt.

Obs. 5. Lucumae Genus, quod huic Speciei innixus Anton. Laur. Jussieus condidit, tam ex characteris generici ejusdem Jussiei descriptione, quàm ex ea, quam ex plantae viventis autopsia elaboratam exhibemus, nihil differt à Genere *Achras* Loeflingii et *Ach. Sapota* Jacquini, nisi minori partium fructificationis numero et seminibus non adeo compressis. Ast experientia pluribus exemplis nos docet, numerum fructificationis partium quamplurimum prae ceteris notis in ejusdem Generis Speciebus variare, adeoque illum cum Linnaeo et aliis praestantissimis Botanicis insuficientissimum judicamus ad dispescendas in plura Genera eas Species, quae habitu, figurâ, proportione et situ fructificationis partium penitus inter se conveniunt. His rationibus permoti, sub Genere *Achras* Species nostras *Achras Lucumam* et *Ach. Caimito* collocavimus, quae notis praecipuis cum *Ach. mammosa* et *Ach. Sapota* Jacquini consentiunt. Atqui si fructificationis partium numerum tanti faceremus, quanti in hoc Genere fecisse videtur Jussieus; statuendum praeterea esset aliud Genus ex *Achras* scilicet *Caimito*, quae quintam partem adimit numero partium nostrae *Ach. Lucumae* et *Ach. mammosae* Jacquini, et tertiam *Ach. Sapotae* in omnibus fructificationis partibus; praeterquamquod semina minus compressa sunt, quàm *Sapotae*, et minus subrotunda, quàm *Lucumae* Semina.

ACHRAS lucuma. Icon. CCXXXIX.

1. A. floribus solitariis binis ternisque pentandris, foliis oblongo-obovatis, pomis mammosis.

Arbor procera, frondosissima, glabra, lactifera.

Truncus erectus, crassus, teres, fuscus. *Lignum* dilutè fulvescens, compactum.

Rami patentes, erecti, deflexi dependentesque, teretes, fusco-cinerei, cortice intus dilute violaceo aut livido: *teneri* leviter angulosi.

Folia è ramulis junioribus, sparsa, conferta, oblongo-obovata, saepe oblonga, plerumque obovata, obtusissima, aliquando acumine obtuso terminata, supra nitidiora, integerrima, subcoriacea, venoso-reticulata;

majoras pithamaea ; marginibus leviter revolutis ; venis majoribus inflexis.

Petioli vix pollicares , subcontorti , supra plani , subtus convexi.

Pedunculi axillares , solitarii , aliquando bini ternique, uniflori, reflexi, versus basim attenuati, petiolorum ferè longitudine , lanugine ferrugineâ tecti , squamâ ovatâ, concavâ , minimâ , lanuginosâ, deciduâ stipati.

Calyx extus tomentosus, ferrugineus, profundissime quinquepartitus : *laciniis* duabus exterioribus interiores tres amplexantibus paulò latioribus, vix brevioribus.

Corolla ovata , virescens , calyce duplò longior ; *limbo* quinquefido , erecto.

Squamae quinque , parvae , subulatae , virescentes , fauci corollae ad ejusdem incisuras enatae.

Filamenta quinque. *Antherae* lutescentes.

Germen ad medium orbiculatim, densè villosum. *Stigma* striis decem radiatim positis , alternis magis perspicuis, leviter umbilicatum.

Pomum mammosum , saepè ovatum, ovato-oblongum subrotundumque , acuminatum, glabrum, laeve, infra acumen orbiculatâ maculâ helvolâ asperiusculâ, carnosum, pulpâ luteâ parum succosâ , à ponderis uncia ad libram et ultra, decemloculare.

Semina figurâ , magnitudine et colore castaneas aemulantur.

Reliqua , ut in Charactere generico.

Habitat copiosè in *Peruviae* hortis , locis imis calidis, et in *Regni Chilensis* quibusdam Provinciis maritimis.

Floret per totum ferè annum , praesertim Septembri, Octobri et Novembri , et fructus in *Peruvia* perpetuò profert.

Vernacule Lucumo , et Fructus *Lucumas* appellantur.

Usus : Ex albicanti et compacto ligno , diu duraturo, Peruviani trabes et optimas tabulas ad varia opera tignaria findunt. Fructus posteaquam maturescunt , sponte decidunt ; et tunc Incolae , ut ad debitam mollitiem veniant , inter semina, paleas , furfur, herbas exsiccatas et hujusmodi per dies aliquot coopertos servant. Pulpa, quae carni vitellorum ovorum coctorum quodammodo assimilatur, dulcem et gratum saporem habet , sed ob suam pinguedinem citò fastidium parit.

Obs. Supra has arbores in *Huanuco Tillandsia usneoides* adeo copiosè vegetat , ut plurimae arbores foliis ferè denudatae et fructibus parvis onustae passim reperiantur. In ejusdem urbis hortis nonnullae arbores crescunt , quae poma parva , ovata , acuta , absque seminibus proferunt.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem longitudinaliter scissa , stamina et squamas ostendens. 5 Pistillum. 6 Pomum transversim sectum , semen et loculum demonstrans. 7 Semen.

ACHRAS caimito. Icon. CCXL.

2. A. floribus aggregatis tetrandris , foliis lanceolato-obovatis , pomis ovalibus.

Arbor sexdecimulnaris et ultra , frondosissima , glabra, lactifera.

Truncus erectus , crassus, teres , cinereo-fuscus. Lignum dilutè fulvescens , compactum.

Rami erecti , patentes deflexique , teretes , fusco-cinerei: *teneri* angulati , foliosi.

Folia in ramis junioribus sparsa , conferta , lanceolato-obovata acumine obtuso , carinata , subrepanda , integerrima , subcoriacea , nitida , venoso-reticulata ; venis majoribus inflexis.

Petioli bi-trilineares , leviter contorti , supra canaliculati.

Pedunculi axillares et ex axillis cicatricum petiolorum, 3-10 , aggregati , brevissimi , uniflori , squamis plurimis , minimis , subrotundis , concavis , pubescentibus, imbricatis distincti.

Flores erecti cernuique.

Calyx quadripartitus , fulvus , glaber : *laciniis* ovatis, concavis , adpressis ; *duabus exterioribus* paulò latioribus , vix brevioribus.

Corolla tubuloso-ovata , lutescens , calyce duplò longior. *Limbus* quadrifidus : *laciniis* erectis , rotundatis.

Squamae quatuor, subulatae , minimae , fauci corollae ad ejusdem interstitia.

Filamenta quatuor , subulata , brevia , squamis alternantia. *Antherae* luteae , cordatae , acuminatae , subincumbentes.

Germen undique densè villosum. *Stylus* subulatus , leviter quadrisulcus , longitudine corollae. *Stigma* obtusum , octo-radiatum, striis alternis magis manifestis.

Pomum ovale, acumine parvo, mammoso, curvato, octoloculare, carne mollissimâ, luteâ, dulci et gratâ , glaberrimum , nitidum.

Semina solitaria , oblonga , lateribus compressiuscula , nitida , castanei coloris , cicatriculâ longitudinali, oblongâ ad insertionem notata, crustâ fragili , osseâ. *Nucleus* albus , ejusdem figurae.

Reliqua , ut in Charactere generico.

Obs. Pomi loculamenta quatuor in adolescentia germinis evanescunt. Semina aliquando quatuor , plerumque 1-2-3ve tantùm ad maturitatem perveniunt , reliqua abortiunt , et loculamenta ferè obliterantur.

Habitat in *Andium* montibus imis calidis et cultis ad *Pozuzo* et *Chinchao* praedia.

Floret Septembri, et Octobri , quibus mensibus fructus maturos offendimus.

Vernacule Caimito , et Fructus *Caimitos* nuncupantur.

Usus : Lignum ad varia opera optimum. Fructus edules, praecedentis Speciei fructibus molliores et sapidiores, sed citius putrescunt.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla. 4 Eadem longitudinaliter excissa, stamina et squamas ostendens. 5 Pistillum germine villis tecto. 6 Villi. 7 Pistillum à villis sejunctum. 8 Semen.

CERVANTESIA. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. p.* 39. Icon. VII.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* minimum, campanulatum, 5angulatum, 5partitum: *laciniis* ovatis, acutis, patulis, apice subconcavis: in fructu maximum, coloratum, seminferum: *laciniis* erectis, adpressis, infernè appendiculatis, extus dorsalibus.

Cor. nulla, nisi squamas dicas.

Squamae quinque, ovales, obsoletè tricrenatae, calyci infra incissuras insertae, laciniis calycis alternantes: in fructûs maturitate ad acumina inferioris partis calycis nuci accretae, valde imminutae adhuc exsistentes.

Stam. *Filamenta* quinque, subulata, plana, ad basim laciniarum calycis affixa, persistentia, squamis alternantia. *Antherae* subincumbentes, oblongo-obovatae, utrinque bifidae, didymae; *lobulis* leviter emarginatis, unilocularibus.

Pist. *Germen* ovatum, semisuperum. *Stylus* nullus. *Stigma* simplex, crassiusculum, obtusum, obsoletè umbilicatum.

Per. *Calyx* carnosus, nucem involvens, inferius nuci ferè ad medium usque penitus accretus: *laciniis* supernè infernèque liberis, et tantum illius calycis partis margini, quae nuci adhaeret, per medium affixis.

Sem. *Nux* ovata, laevis, unilocularis, tenuis. *Nucleus* ejusdem figurae, per basim à funiculo liberus, foraminulatus.

Obs. 1. Cùm eo tempore, quo Prodromum typis edebamus, nullum plantarum specimen, non omnes icones, neque adversaria in Peruvia exarata ad manus haberemus, aliisque etiam praesidiis destitueremur; nonnullos Characteres genericos non satis perfectos evulgavimus, sed prout eorum Species nunc exhibemus, eos supplere nitimur, quemadmodum videre est in duobus prioribus Specierum Voluminibus. Inter Genera sanè, quae hujusmodi illustrationem desiderabant, *Cervantesia* recenseri meretur, cujus Characterem pro viribus reformatum lubenter damus animadversione excitati, quam D. Cavanilles ad *Cervantesiae suae bicoloris* descriptionis calcem affert, quam quidem plantam, nisi nobis certò constaret eandem cum nostra *Cervantesia tomentosa* Speciem esse, ex ejus descriptione generica et specifica, atque etiam ex icone, aliam prorsus non modo Speciem, sed etiam diversissimum Genus esse judicaremus, nam Corollam monopetalam quinque squamarum à se invicem remotarum loco membranam subrotundam inter ipsam et nucem interpositam, quae non adest, et stigma emarginatum, quod in icone furcatum exhibuit, loco simplicis et obtusi eidem tribuit, embrionisque seu corculi nomine filum aut funiculum appellat, quo semen nucis basi affigitur, cùm verum Corculum subulatum ad apicem sit situm, et usque ad nuclei medietatem obliqüe protendatur.

Obs. 2. Ex figura minus idonea, quam *Cervantesiae* fructus ostendunt in D. Cavanilles icone, conjicere fas est ipsum eos vidisse nimis teneros in specimine sicco, quod exploravit: nam licet vel exigui pisi magnitudinem non aequarent, figuram tamen eandem profecto retinent, cùm ad naturalem magnitudinem adolescunt. At si eos naturalem aut saltem exigui pisi magnitudinem adeptos inspexisset; calycis lacinias cum nucis basi coalitas neutiquam exhibuisset; liberae enim sunt et tantum illius calycis partis margini ad medium affixae, quae nuci penitus adhaeret. Suspicionem nostram mirum in modum auget, quod D. Cavanilles hanc eandem calycis partem ad nucis ferè medium usque accretam pro corolla et pro membrana descripserit; quemadmodum in icone repraesentare conatur littera g. cujus explicatio ita se habet: „ *Eadem* (id est Nux) denudata calyce cum corolla et membrana ipsi adpressa et adhaerente." Tradit quoque germen in calycis fundo adesse: ex ipsa tamen descriptione nullo alio loco reperiri poterat, nisi in membranae subrotundae fundo, quae ipsi auctori visa est exsistere inter germen et ab eodem dictam corollam, quae nihil aliud est, quàm calycis laciniarum vestigia, quae nunquam sponte seorsim, sed cum nuce simul decidunt. Quod autem corollam judicavit, calycis inferior pars est nuci intimè accreta, à qua divelli nullâ, nisi cultelli radentis vi potest. Porro quod D. Cavan. stylum vocavit, pars est superior germinis per exsiccationem corrugati: ipsi verò stylus brevis et crassus visus est.

Obs. 3. Interea, quantam fieri possit, diligentiam nos quoque posthac adhibebimus, ut publicae utilitati inservientes omnium illarum plantarum, quas nos primi in Regno Peruviano et Chilensi deteximus, quasque D. Cavanilles antequam nos evulgavit, descriptiones corrigamus.

CHARACTFR GENERICUS *D. CAVANILLES.*

Cal. inferus, persistens, campanulatus, 5angulatus, 5-partitus, laciniis ovato-acutis, in fructu auctis, incrassatis.

Cor. monopetala, semiquinquefida, laciniis rotundatis, aucta persistens fructus basi adhaerens, membrana rotunda inter ipsam et nucem interposita.

Stam. filamenta quinque minima, corollae laciniis alterna, crassiuscula, basi dilatata, qua calycis foliolis inserta: antherae ovatae, didymae, inferne emarginatae.

Germ. in fundo calycis ovatum, in stylum crassum breve desinens: stigma emarginatum.

Fruct. nux ovata, unilocularis, evalvis, monosperma, glabra, calyce tecta.

Sem. cavitati nucis conforme, inferne perforatum: cujus integumentum simplex tenuissimum: albumen crassum: embryo filiformis, erectus, longitudine ferè albuminis.

CERVANTESIA TOMENTOSA. ICON. CCXLI. *Fig. b.*

1. C. foliis oblongo-linearibus, floribus racemosis subsessilibus.

CERVANTESIA (*bicolor*) caule arboreo: foliis oblongis ferrugineo-tomentosis: floribus racemosis. CAVANILL. *Icon. vol. 5. p. 49. tab. 475.*

ARBOR biorgyalis, comâ ramosâ, subglobosâ.

TRUNCUS erectus, teres, brachii crassitie, fuscus, scaber.

RAMI sparsi, teretes, flexuosi, intorti: *teneri* lanuginosi, ferruginei.

FOLIA oblongo-linearia, integerrima, marginibus retroflexis: *seniora* alterna, remota; suprà glabra, nitida, obscurè viridia; subtus lanuginosa, albido-ferruginea; venis lanugine omnino tectis, nervo solummodo manifesto: *juniora* sparsa, utrinque lanuginosa, longitudine palmari, latitudine ferè pollicari.

PETIOLI subbilineares, supra leviter sulcati, parum contorti.

SQUAMAE gemmarum imbricatae, ovatae, concavae, deciduae; *exteriores* breviores.

RACEMI axillares terminalesque, sesquipollicares, flexuosi, lanuginosi, ferruginei, compositi; in flore nutantes, in fructu penduli.

FLORES subsessiles, in acervos parum remotos digesti.

CALYX lanuginosus, ferrugineus, intus virescens; in fructu glaberrimus, carnosus, rubro-ater.

SQUAMAE albae.

ANTHERAE luteae.

NUX nigra, nitida, laevis. Nucleus solidus, oleaginosus, tenuissimâ membranâ, albidâ, extus furfuraceâ, intus instar telae aranearum intertextâ tectus, albumine aut cotyledone coloris, consistentiae et saporis nuclei Avellanae. Corculum prope nuclei apicem ortum, subulatum, ad nuclei ferè medium usque lateraliter aut ubique protensum.

HABITAT in *Peruviae* praeruptis circa *Acobamba* vicum in *Tarmae* Provincia, ubi illam anno MDCCLXXIX. deteximus, delineavimus et descripsimus, et postea in *Huarocheri* et *Cantae* Provinciarum locis imis calidis eandem offendimus.

FLORET et fructificat à Julio ad Octobrem.

USUS: Nuclei grati saporis, Avellanarum haud absimiles sunt, quorum aliquoties nonnullos sine noxa comedimus. Lignum albicans, satis durum, ideoque ad varios usus perutile.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Idem auctus. 3 Squama aucta. 4 Calycis lacinia cum stamine aucta. 5 Stamen auctum. 6 Pistillum. 7 Idem auctum. 8 Nux intra calycem carnosum. 9 Nux tribus laciniis calycis semicincta. 10 Calycis laciniae duae cum staminum vestigiis. 11 Nucleus inter putamen transversim sectum. 12 Nucleus longitudinaliter sectus, corculum et foramen demonstrans. 13 Nucleus à membrana liber.

ALZATEA. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. p.* 40. ICON. VII.

ALZATEA VERTICILLATA. ICON. CCXLI. *Fig. a.*

1. A. foliis obovatis emarginatis, floribus corymbosis.

ARBOR 40-ulnaris et ultra, glabra.

TRUNCUS erectus, crassus, comâ frondosissimâ, cortice cinereo, aspero tectus.

RAMI verticillat, quaterni, erecti, teretes: *teneri* purpurascentes.

FOLIA opposita, breviter petiolata, integerrima, emarginata, obovata, aliquando oblonga, coriacea, supra nitidiora, parum venosa.

PETIOLI subcontorti, teretes, purpurascentes.

CORYMBI terminales, compositi, magni.

PEDUNCULI tetragoni: *inferiores* verticillat, quaterni: *intermedii* oppositi: *terminales* quaterni.

CALYCES lutescentes, coriacei, patentiusculi.

ANTHERAE luteae, cordatae, erectae.

PISTILLUM purpurascens.

CAPSULA helvoli coloris, obcordata, brevi acumine, bilocularis, bivalvis: *valvulis* medio septiferis: septis intermediis Dissepimentum contrarium conficientibus.

SEMINA dissepimenti centro perpendiculariter utrinque affixa, à basi ad apicem duplici ordine superimposita.

HABITAT in *Peruviae* nemoribus ad *Chinchao* praeruptum prope *Mesapata* praedium.

FLORET Majo, Junio et Julio.

Obs. 1. Adde in Charactere generico Alzateae sequentes notas: *Antherae* erectae. Capsulae *Valvulae* medio septiferae; *Septa* intermedia *Dissepimentum contrarium* conficientia. *Semina* dissepimenti centro perpendiculariter utrinque affixa, à basi ad apicem duplici ordine superimposita.

Obs. 2. Arbor, quam in *Mesapata* praedio offendimus, sex truncis crassis, primum divergentibus, postea ad quatuor ulnarum altitudinem in unicum, teretem connexis constabat.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Stamina. 3 Pistillum. 4 Capsula cum calyce. 5 Eadem dehiscens. 6 Semina superimposita. 7 Semina libera.

MYOSCHILOS. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. p.* 41. ICON. XXXIV.

MYOSCHILOS OBLONGA. ICON. CCXLII. *Fig. a.*

1. M. foliis oblongis acuminatis repandis, floribus spicatis.

FRUTEX orgyalis, antequam folia flores proferens.

CAULIS erectus, teres, fuscus, maculis cinereis sparsis, ramosissimus.

RAMI sparsi, virgulati, teretes, fusci coloris.

FOLIA conferta, sparsa, breviter petiolata, erecta, oblonga parvo acumine, integerrima, repanda, subave-

nia, leviter pubescentia, tandem glabra, ut plurimum semipollicaria : *nonnulla* ovalia sublanceolataque.

Petioli supra vix caniculati.

Spicae axillares, breves, erectae, 2-6 aggregatae solitariaeque, amentiformes, purpurascentes, inaequales, multiflorae.

Flores sessiles, imbricati, hermaphroditi ; *singuli* squamis tribus, ovatis, concavis, acutis suffulti : plurimi abortivi ; paucissimi fertiles.

Calyx purpureus, in fructûs maturatione minimus.

Stigma trifidum, aliquando bifidum.

Drupa purpureo-atra, globosa, rudimento styli acuminata, parvi pisi magnitudine.

Habitat in *Regni Chilensis* collibus et ripis arenosis prope *Conceptionis* urbem ad littora fluviorum *Biobio* et *Andalien.*

Floret Augusto.

Vernacule Codocoypu, id est, fructus cujusdam Animalis amphibii, à Molina *Mus Coypus* dicti, quia ejus fructibus praesertim nutritur.

Usus: Chilenses foliorum infuso ad album solvendam frequenter utuntur, unde à quibusdam *Senna* appellatur.

Obs. In Charactere generico Stigma trifidum loco *trigonum* corrige.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Squamae floris. 3 Stamina. 4 Pistillum calyce coronatum. 5 Drupa cum stylo persistente. 6 Semen.

DIGYNIA.

SWERTIA. Linn. *Gen. pl. p.* 175.

SWERTIA umbellata. Icon. CCXLII. *Fig. b.*

1. S. corollis 4cornibus, foliis lanceolato-linearibus connatis ; radicalibus confertis ; caulinis remotis, floribus terminalibus umbellatis.

Planta herbacea, annua, glabra, amariuscula.

Radix fibrosa, albido-lutescens.

Caulis 1-2pedalis, erectus, 4angularis, tenuis, nitidus, solitarius ; aut caules plures simplices, aliquando ramosi.

Folia lanceolato-linearia, trinervia, integerrima, margine scabra, angusta, 1-2pollicaria, obliqua, erecto-patentia : *radicalia* conferta, petiolata, petiolis connatis ; *caulina* remota, sessilia, connata.

Umbella terminalis, plerumque solitaria, rarò una duaeve ex axillis superioribus involucratae.

Involucrum polyphyllum : *foliolis* linearibus.

Pedunculi plurimi 5-10, uniflori, tetrangulares, inaequales, leviter cernui.

Calyx luteus, quadripartitus : *laciniis* ovato-lanceolatis, adpressis, margine scabris, inferus, persistens.

Corolla calyce duplò longior, quadrifida, quadricornis, lutea : *laciniis* erectis, ovatis, acuminatis, conniventibus, corniculis acutis, divergentibus, internè nudis.

Filamenta quatuor, subulata, apice incrassata, infra incisuras corollae inserta. *Antherae* incumbentes, sagittatae, resupinatae, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscentes, luteae, pubescentes.

Germen ovatum, acutum. *Stylus* nullus. *Stigmata* duo, oblonga, divaricata, latiuscula.

Capsula conica, stigmatibus terminata, infernè torosa, seminifera, supernè effoeta, à medio ad basim biloculàris, à medio ad apicem bivalvis : *valvulis* acutis, divergentibus, apice recurvis.

Semina plura, lentiformia, helvola, minima. *Receptacula* duo, suturis valvularum utrinque usque ad medium decurrentia, contigua, loculamenta constituentia.

Habitat copiosè in *Andium* alpibus ad *Bombom*, *Tarmae*, *Pillao* et *Panao* tractus.

Floret à Julio ad Octobrem.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla longitudinaliter scissa cum staminibus. 4 Pistillum. 5 Capsula. 6 Eadem dehiscens. 7 Valvulae intus visae, semina ostendentes. 8 Semina aucta.

HYDROLEA. Linn. *Gen. pl. p.* 173.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* quinquepartitum : *laciniis* lanceolato-subulatis, erectis; inferum, persistens.

Cor. campanulata. *Tubus* calyce brevior. *Limbus* quinquepartitus : *laciniis* ovatis, obtusis, patentibus.

Stam. *Filamenta* quinque, subulata, assurgentia, corollae longitudine, infra incisuras inserta. *Antherae* incumbentes, cordatae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes.

Pist. *Germen* ovatum, hirsutum. *Styli* duo, filiformes, supernè incrassati, divergentes, recurvi, staminum longitudine, persistentes. *Stigmata* duo, capitato-peltata.

Per. *Capsula* ovata, bisulca, bilocularis, bivalvis : *valvulis* cymbaeformibus, septiferis, apice bifidis. *Dissepimentum* contrarium, utrinque alatum, interruptum duabus membranulis centralibus, parallelis, lanceolatis, marginibus retroflexis, septo intermedio intimè adhaerentibus, tandem usque ad basim solutis.

Sem. numerosa, minima, obovata, angulata, truncata. *Receptacula* oblongo-linearia, ad dissepimenti alulas utrinque adnata.

Obs. Capsula ante dehiscentiam transversim secta loculamenta quatuor ferè exhibet ; post dehiscentiam Receptacula quatuor conspiciuntur, singulum ad singulam alulam septi intermedii adnatum.

HYDROLEA urens. Icon. CCXLIII.

1. H floribus paniculatis parvis, spicis conjugatis dichotomisque, foliis duplicato-dentatis cordatis obtusis : superioribus ovalibus.

Planta 2-3orgyalis, densè hirsuta, urentissima, perennis.
Radix ramosa, fibrillosa.
Caulis erectus, ramosus, subangulatus, medullosus.
Rami consimiles, erecto-patuli.
Folia alterna, magna, rugosa, duplicato-dentata, cordato-oblonga, obtusa; subtus canescentia; *superiora* ovalia, basi integra.
Petioli ut plurimum bipollicares.
Panicula terminalis, maxima, composita spicis plerumque conjugatis, aliquando ternis vel dichotomis, aut solitariis.
Pedunculi patentissimi, alterni, 2-3pollicares.
Spicae divergentes, bipollicares, apice revolutae (uti in Heliotropiis).
Flores bifariam digesti, secundi, alternantes, breviter pedicellati, conferti, parvi.
Calyx, ut tota planta, hispidus, corollâ dimidio brevior: *laciniis* lanceolato-subulatis.
Corolla violacea. *Tubus* obversè conicus, glaber. *Limbus* extus hispidus, patentissimus.
Filamenta à medio ad basim hispida. *Antherae* luteae.
Capsula fusca.
Semina parva, fulvescentia, obovato-cuneiformia, obsoletè tetragona.
Habitat in *Peruviae* praeruptis calidis, praesertim in Provinciis *Tarmae*, *Chancay*, *Huarocheri* et *Cantae* prope *Huaura*, *Quive*, *Yanha* et *Surco*.
Floret Aprili, Majo et Junio.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Corolla cum staminibus. 4 Eadem longitudinaliter scissa, ut insertio staminum conspiciatur. 5 Pistillum. 6 Capsula cum calyce. 7 Eadem absque calyce. 8 Capsula aperta. 9 Valvula intus visa. 10 Eadem cum altero receptaculo aucta. 11 Receptaculum. 12 Semina magnitudine naturali. 13 Semen auctum. 14 Idem valde auctum.

HYDROLEA crispa. Icon. CCXLIV. *Fig. a.*

2. H. floribus paniculatis magnis, spicis conjugatis, foliis multiformibus crispis inciso-serratis.

Planta ferè orgyalis, hirsutissima, hispidula.
Caulis erectus, parum ramosus, teres.
Rami erecti, teretes.
Folia alterna, ovata, ovato-oblonga subcordataque, obtusa, crispa, sinuata, duplicato-inciso-serrata, utrinque hirsutissima, subtus tomentosa, supra viridia, rugosa, venosissima, coriacea.
Petioli pollicares et ultra, teretes.
Panicula terminalis, magnâ, spicis plurimis.
Pedunculi dichotomi.
Spicae apice reflexae, sesquipalmares.
Flores bifariam alternatim digesti, secundi, sessiles.
Calyx quinquepartitus: *laciniis* lanceolatis, acutis, carinatis, erectis, persistentibus.
Corolla magna, alba, campanulata; *limbo* quinquepartito; *laciniis* ovatis, patentibus.
Filamenta 5, subulata, basi villosa, corollâ breviora.
Antherae oblongae, basi emarginatae, incumbentes.
Germen ovatum, villosum. *Styli* duo, versus apicem incrassati, staminibus paulò longiores. *Stigmata* umbilicato-sulcata.
Capsula ovata, obtusa.
Semina numerosa, parva. *Receptacula* duo, singulae valvulae longitudinaliter adnata.
Habitat in *Andium* nemoribus ad margines *Pozuzo* fluvii versus *Huancabamba* tractus, ubi Joannes Tafalla descripsit et delineavit.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Calyx cum pistillo. 2 Corolla scissa cum staminibus. 3 Pistillum cum calycis basi.

HYDROLEA dichotoma. Icon. CCXLIV. *Fig. b.*

3. H. floribus solitariis è dichotomiis, foliis oblongo-spathulatis.

Planta herbacea, minutim hispidula, viscosa, ferè pedalis, annua.
Caulis erecto-patulus, ramosissimus, supernè dichotomus, teres, purpurascens.
Rami consimiles, divergentes.
Folia alterna subsessilia, oblongo-spathulata, obtusa, integerrima, supra hispida, retrorsum aspera, subtus glabra, per nervum tantum hispidula.
Flores ex dichotomiis, solitarii, sessiles.
Calyx quinquepartitus, inferus, persistens; *laciniis* spathulatis, erectis.
Corolla campanulata, alba, lineis quinque, longitudinalibus, caeruleo-violaceis maculata. *Tubus* calyce dimidio brevior, supernè sensim ampliatus. *Limbus* longitudine calycis, quinquepartitus: *laciniis* ovatis, marcidis inter se in conum cucullatum, elastice dissilientem, convolutis.
Filamenta quinque, subulata, medio tubi inserta, corollâ paulò longiora. *Antherae* incumbentes, cordatae, obtusae.
Germen ovatum, hirsutum. *Styli* duo, filiformes, erecto-patuli. *Stigmata* capitato-peltata.
Capsula ovata, bisulca, bilocularis, bivalvis: *valvulis* cymbaeformibus, septiferis, apice bifidis. *Dissepimentum* contrarium, utrinque alatum, interruptum membranulis duabus, centralibus, parallelis, lineari-lanceolatis, marginibus retroflexis, septo intermedio intimè adhaerentibus, tandem usque ad basim solutis.
Semina plura, minima, obovata, punctata, fulvescentia. *Receptacula* oblongo-linearia, ad dissepimenti alulas utrinque adnata.
Habitat passim in arenosis et argillosis *Huanuci* urbis.
Floret Martio, et Aprili.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx cum corolla mar-

cida clausa. 3 Corolla cum staminibus. 4 Eadem cum staminibus scissa. 5 Pistillum. 6 Capsula dehiscens. 7 Valvula interius conspecta cum receptaculo et seminibus, parum aucta. 8 Semina. 9 Eadem aucta.

DICHONDRA. Forster. *Gen. pl. p.* 39. *tab.* 20.

DICHONDRA repens.

1. D. caule filiformi repente, foliis reniformibus longe petiolatis.

Dichondra (*repens*). Forst. *Gen. pl. p.* 40. Smith. *plant. icon. fasc.* 1. *p.* 8. *ic.* 8.

Dichondra (*repens*) caule repente, foliis reniformibus integerrimis. Gmelin. *System. veget. p.* 457.

Sibthorpia (*evolvulacea*) foliis reniformibus integerrimis. Linn. *Supp. pl. p.* 288.

Planta herbacea, perennis.

Radix fibrillosa.

Caulis repens, ramosus, filiformis, teres, villosus.

Rami consimiles, tenues.

Folia alterna, aliquando gemina, parum remota, longe petiolata, erecta, reniformia, integerrima, saepe emarginata, subtus nervoso-radiata, sericea, supra glabra.

Petioli teretes, sericei, foliis 2-3-4duplò longiores, graciles.

Stipulae duae, lineares, oppositae, laterales, caducae.

Pedunculi axillares, solitarii, saepe gemini, petiolis multò breviores, uniflori, in flore erecti, in fructu recurvati, filiformes.

Flores parvi, cernui.

Fructus in terra absconduntur.

Calyx hirsutus, profunde quinquefidus: *laciniis* obovatis, obtusis, integerrimis; inferus, persistens.

Corolla albido-lutea, rotata. *Tubus* vix ullus. *Limbus* quinquepartitus; *laciniis* ovatis, obtusis, integerrimis, calyce vix longitudine.

Filamenta quinque, subulata, erecta, corollâ paulò breviora, ad incisuras inserta. *Antherae* erectae, subrotundae, basi bifidae, biloculares, violaceae.

Germina duo, globosa, villosa. *Styli* duo, filiformes, staminum longitudine, parum divergentes. *Stigmata* capitata, truncata.

Semina duo, globosa, villosa, adpressa, membranâ exsuccâ, evalvi, tenui tecta.

Habitat in *Peruviae* versuris, ruderatis et cultis ad *Tarmae*, *Huanuci*, *Caxatambo* Provincias, et in *Conceptionis Chile* campis.

Floret Majo, Junio et Julio.

Obs. 1. Pericarpium, quod Forsterus capsulas duas nuncupavit, verè est Fructus dispermus aut Semina duo adpressa, membranâ tenui, exsuccâ, evalvi, non secedenti tecta.

Obs. 2. Planta pro solo natali foliis integerrimis aut emarginatis, magis minusve sericeis, saepe variat.

GUMILLEA. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. p.* 42. Icon. VII.

GUMILLEA auriculata. Icon. CCXLV. *Fig. a.*

1. G. foliis impari-pinnatis.

Frutex biorgyalis et ultra.

Caulis erectus, teres, ramosus.

Rami teretes, patuli: *teneri* hirsuti.

Folia alterna, impari-pinnata: *foliola* ovata ovato-oblongaque, acuta acuminataque, integerrima, glabra, dorsali nervo pubescentia, marginibus parum revolutis, subtus venosissima, breviter petiolata.

Petioli *communes* hirsuti, pedales.

Stipulae oppositae, subreniformes, lateraliter reflexae, sessiles.

Racemi terminales, penduli, longi, densè hirsuti, spicati.

Flores sessiles, aggregati.

Calyx lutescens, semiquinquefidus: *laciniis* acutis, erecto-patulis.

Filamenta subulata, planiuscula, parum incurva, receptaculo inserta, germen ambientia.

Antherae subincumbentes, biloculares.

Stigmata divergentia.

Capsula birostrata.

Habitat in *Peruviae* nemoribus juxta *Muña* vicum, ad *Rinconada* tractum.

Floret Augusto, et Septembri.

Explic. Icon. 1 Flos integer erectus. 2 Idem patens. 3 Calyx. 4 Stamina. 5 Pistillum. 6 Capsula. 7 Eadem transversim secta. 8 Semina. Omnia aucta.

HYDROCOTYLE. Linn. *Gen. pl. p.* 178.

character genericus reformatus.

Cal. *Umbella* simplex aut composita, pauciflora aut multiflora.

Involucrum parvum, polyphyllum: *foliolis* ovatis, acutis, membranaceis, marcescentibus.

Perianthium minimum, marginale, obsoletè quinquecrenatum.

Cor. *universalis* uniformis. *Flosculi* omnes fertiles.

Propria pentapetala. *Petalis* ovatis, integris, patentibus.

Stam. *Filamenta* quinque, subulata, corollâ breviora. *Antherae* ferè incumbentes, suborbiculares, sulcatae, anticè convexae, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscentes.

Pist. *Germen* inferum, compressum, suborbiculatum. *Styli* duo, filiformes, breves, persistentes, divergentes. *Stigmata* obtusa.

Per. nullum. *Fructus* orbiculari-ovatus, compressus, prominentiâ coronatus, longitudinaliter bipartibilis.

Sem. duo, semiorbiculato-ovata, trigona, angulo intermedio prominulo.

Habitus.

Herbae procumbentes, plerumque repentes. *Caules* saepe striati. *Rami* diffusi. *Folia* alterna, simplicia, integra, aut lobata, aut sinuata, nervosa, longe petiolata, vel peltata, aut petiolis posticâ cordaturae parte affixa. *Stipulae* oppositae inter petiolum et pedunculum membranaceae. *Pedunculi* longi, oppositifolii. *Umbella* simplex aut composita, globosa aut plana, aequalis aut inaequalis, involucrata. *Involucrum* polyphyllum. *Flosculi* totidem.

Obs. Hujus Generis Species omnes folia alterna constanter proferunt, et quamvis in caulium pluribus articulationibus, quae quidem ut plurimum valde remotae inter se sunt, duo aut plura folia observantur, eorum unum tantummodo respondet singulae articulationi, quamdiu cetera ad gemmam, seu ramuli ab ejus axilla in eodem nodo enascentis principium pertinet. Hoc profecto manifestum facile fit vivas plantas diligenter inspicienti; contra saepe accidit observatorem incuriosè et leviter explorantem duo aut plura folia in singulis articulationibus describere, praesertim si usus fuerit speciminibus siccis atque adeo sine novorum caulium gemmarum praesentia.

HYDROCOTYLE TRIFLORA. Icon. CCXLV. *Fig. b.*

1. H. foliis reniformibus crenatis, pedunculis trifloris.

Planta herbacea, perennis.

Caulis horizontalis, repens, teres, geniculatus.

Folia è geniculis solitaria, longissime petiolata, reniformia, crenata, septemnervia, nervis venosis: *adulta* utrinque glabra: *tenera* subtus villosiuscula.

Petioli teretes, pollicares pedalesque: *teneri* densè villosi: *adulti* glabri.

Pedunculi 1-3 ex singulis geniculis, petiolis triplò breviores, triflori, oppositifolii.

Flores paralleli, sessiles, involucro triphyllo amplexati: *foliolis* subrotundis, concavis, persistentibus, membranaceis.

Petala alba.

Antherae incumbentes, cordatae, obtusae.

Semina trinervia, villosa.

Habitat in *Conceptionis Chile* locis humidis, et scaturiginibus.

Floret Februario, et Martio.

Explic. Icon. 1 Involucri foliola sejuncta. 2 Flos integer. 3 Stamen. 4 Pistillum. 5 Fructus. 6 Semina stylo terminata.

HYDROCOTYLE MULTIFLORA. Icon. CCXLVI. *Fig. a.*

2. H. foliis peltatis subrotundo-reniformibus duplicato-crenatis, umbellâ multiradiatâ compositâ, floribus verticillatis.

Planta herbacea, perennis, glaberrima.

Radix fibrillosa: fibrillis verticillatis.

Caulis repens, teres, laevis, 2-4pedalis, ramosus, geniculatus.

Rami consimiles.

Folia solitaria è singulis geniculis, longe petiolata, peltata, subrotundo-reniformia, duplicato-crenata, crenaturis obtusis, 17-19nervia: nervis venosis, supra concava, subtus convexa.

Petioli teretes, bi-octopollicares, laeves.

Stipulae lunatae, membranaceae, articulationes caulis semiamplexantes, solitariae, deciduae.

Pedunculi solitarii, foliis longiores, teretes, laeves, oppositifolii.

Umbella multiradiata, radiis inaequalibus composita, involucrata.

Involucra polyphylla: *foliola* lanceolata, acuta, minima, concava, persistentia.

Flores verticillati, numerosi: *terminales* tantum umbellati.

Calyx marginalis obsoletè quinquecrenatus.

Corolla alba, pentapetala.

Semina semiorbiculata, compressa, trinervia.

Habitat in *Limae*, *Chancay*, *Huanuci* et *Chile* locis inundatis, stagnatis et humidis.

Floret toto anno.

Vulgo: *Oreja de Abad* et *Petacones*.

Vires et Usus: Incolae folia ad ulcera detergenda anticâ parte applicant, et posticâ parte ad conglutinanda, ejusque succum ad oris ulcera sananda adhibent.

Obs. Haec Species eadem videtur esse cum ea, quam D. Cavanilles nomine *Hydrocotyle Bonariensis* Lamarck affert Icon. *vol. 5. p. 6. tab. 488. fig. 1*: sed ex figura et descriptione differt nostra caule repente, non sulcato; foliis è nodis solitariis, subrotundo-reniformibus, duplicato-crenatis, non verò oppositis, nec cordatis, nec multilobis; petiolis non sulcatis; stipularum praesentiâ; umbellis multorum radiorum inaequalium, umbellulis terminalibus multorum flosculorum ab umbellae communis basi per intervalla verticillatis, calyce marginali, quo asserit D. Cavanilles, suam plantam destitui, stupendo satis et pene singulari exemplo in Hydrocotyle. Revera icon et descriptio plantam diversam repraesentant, quamquam suspicio sit satis vehemens eamdem esse Speciem cum nostra.

HYDROCOTYLE TRIBOTRYS. Icon. CCXLVI. *Fig. b.*

3. H. foliis peltatis subrotundo-reniformibus 2to-crenatis, umbellâ triradiatâ, radiis longissimis, floribus verticillatis subquinis.

Planta herbacea, perennis, glaberrima.

RADIX fibrosa : *fibris* verticillatis ad articulationes caulis.
CAULIS repens, teres, laevis, ramosus, 1-2pedalis, geniculatus.
RAMI consimiles.
FOLIA alterna, solitaria, peltata, subrotundo-reniformia, plana, duplicato-crenata, 11-17nervia, nervis venosis; crenaturis obtusis.
PETIOLI teretes, 2-6pollicares, laeves.
PEDUNCULI solitarii, inter duos petiolos, teretes, laeves, foliis longiores.
UMBELLA triradiata : *radiis* longissimis, inaequalibus, flosculis quinque terminatis.
INVOLUCRA pentaphylla : *foliolis* minimis, ovatis, acutis, marcescentibus.
FLOSCULI in verticillos remotos, quinquefloros, rarius 6floros aut paucifloros, breviter pedunculati : *fructiferi* cernui.
CALYX marginalis, minimus.
PETALA albido-lutescentia, parva.
SEMINA trinervia, fusca.
HABITAT in *Peruviae* humidis et stagnatis ad *Limae*, *Chancay* et *Huanuci* tractus.
FLORET toto anno.
VERNACULE Petacones et *Oreja de Abad.*
Usus : Incolae ad eosdem usus ac praecedentem usurpant.

HYDROCOTYLE GLOBIFLORA. ICON. CCXLVII. *Fig. a.*

4. H. foliis reniformi-subrotundis duplicato-crenatis, umbellis globosis multifloris.
PLANTA herbacea, perennis, hirsuta.
CAULIS repens, teres, purpurascens, geniculatus, ramosus, 2-3pedalis.
RAMI consimiles.
FOLIA è geniculis, solitaria, longe petiolata, ferè peltata, reniformi-subrotunda, ampla, 13nervia, duplicato-crenata : *nervis* valde venosis.
PETIOLI pedales et ultra, erecti, teretes, striati.
PEDUNCULI è geniculis, solitarii, oppositifolii, teretes, leviter striati, foliis paulò longiores brevioresque.
UMBELLA globosa, ferè 200-flora, simplex, involucrata.
PEDICELLI tenues, teretes, obsoletè striati, 3-4lineares, uniflori.
INVOLUCRUM foliolis totidem, linearibus, minimis.
CALYX minimus.
PETALA alba, parva.
SEMINA semiovata, trinervia, prominentiâ brevi terminata, fulvescentia.
HABITAT in *Peruviae* nemoribus versus *Muña* tractus in locis stagnatis et humidis.
FLORET Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Idem patentissimus. 3 Pistillum. 4 Fructus cum stylis. 5 Semina.

HYDROCOTYLE QUINQUELOBA. ICON. CCXLVIII. *Fig. b.*

5. H. foliis peltatis quinquelobis; lobis acutis duplicato-serratis, umbellis globosis multifloris.
PLANTA herbacea, villosa, annua.
CAULIS procumbens, ramosus, leviter striatus, teres, geniculatus.
RAMI diffusi, consimiles.
FOLIA alterna, solitaria, petiolata, peltata, quinquenervia, subtus venoso-reticulata, quinqueloba; *lobis* acutis duplicato-serratis, *intermedio* productiore, *inferioribus* reliquis minoribus.
PETIOLI teretes, foliis paulò longiores.
STIPULAE interfoliaceae, oppositae, ovatae, obtusae, latiusculae, membranaceae, marcescentes, viridi-rubrae.
PEDUNCULI oppositifolii, solitarii, foliorum ferè longitudine, teretes, striati.
UMBELLA globosa, multiradiata, involucrata.
INVOLUCRUM polyphyllum, breve; *foliolis* brevibus, lineari-lanceolatis, marcescentibus.
PEDICELLI trilineares, leviter striati.
CALYX minimus, quinquedentatus.
PETALA alba, parva.
ANTHERAE orbiculatae, subincumbentes, biloculares, luteae.
FRUCTUS orbiculatus, basi excavatus.
SEMINA semiorbicularia, trinervia, parva.
HABITAT in *Peruviae* nemoribus ad *Pillao* tractus.
FLORET à Junio ad Septembrem.
Explic. Icon. 1 Flos integer erectus cum involucri foliolo. 2 Idem patens. 3 Idem petalis reflexis. 4 Pistillum stylis introflexis. 5 Fructus cum stylis divergentibus. 6 Semina cum stylis. *Omnia* parum aucta.

HYDROCOTYLE ACUTIFOLIA. ICON. CCXLVIII. *Fig. a.*

6. H. foliis cordatis acutis sinuatis crenatis, umbellis simplicibus globosis multiradiatis.
PLANTA herbacea, villosiuscula, perennis.
RADIX fibrosa; *fibris* verticillatis.
CAULIS repens, teres, striatus, geniculatus, ramosus.
RAMI diffusi, graciles, consimiles.
FOLIA alterna, longe petiolata, cordata, acuta, sinuata, crenata, undecimnervia, venosa, posticae cordaturae parti affixa.
PETIOLI teretes, striati, foliis longiores.
STIPULAE interfoliaceae, subreniformes, membranaceae, deciduae.
PEDUNCULI oppositifolii, solitarii, foliis longiores, striati.
UMBELLA simplex, globosa, multiradiata, involucrata.
INVOLUCRUM polyphyllum : *foliolis* minimis, ovatis, membranaceis, persistentibus.
PEDICELLI capillares, trilineares, striati, uniflori.

Petala alba.
Fructus parvus, subcordatus.
Semina trigona, fusca.
Habitat in *Peruviae* nemoribus prope *Pillao* vicum.
Floret Julio, et Augusto.
Explic. Icon. 1 Flos integer erectus cum involucri foliolo. 2 Idem patens. 3 Idem reflexus. 4 Pistillum. 5 Fructus cum stylis divaricatis. 6 Semina. *Omnia* aucta.

HYDROCOTYLE gracilis. Icon. CCXLVII. *Fig. b.*

7. H. foliis peltatis sinuatis crenatis, umbellis sexfloris.
Planta herbacea, perennis.
Radix capillaris, fibrillis verticillatis.
Caulis filiformis, gracilis, repens, villosus, ramosus.
Rami consimiles.
Folia solitaria, petiolata, peltata, procumbentia, glabra, parva, 6-7-8sinuata, crenata, 6-7-8nervia, venosa.
Petioli foliis duplò longiores, teretes, villosi.
Pedunculi solitarii, oppositifolii, erecti, graciles, petiolis breviores.
Umbella simplex, 6flora, rarissime 5-7flora, involucrata.
Involucrum foliolis totidem minimis.
Flosculi minimi, purpurascentes.
Habitat in *Peruviae* stagnatis et ad margines rivulorum *Muña.*
Floret Augusto, Septembri et Octobri.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Idem patentissimus. 3 Pistillum. 4 Fructus cum stylis. 5 Semina. Omnia aucta.

HYDROCOTYLE citrodora.

8. H. foliis reniformibus 7-9sinuatis crenatis hirsutis, umbellâ parvâ multiflorâ.
Planta herbacea, perennis.
Radix fibrosa: *fibrillis* verticillatis, capillaribus.
Caulis horizontalis, repens, teres, filiformis, longissimus, glaber, obsoletè striatus, geniculis remotis.
Rami consimiles; *teneri* assurgentes, villosiusculi.
Folia è geniculis solitaria, longe petiolata, 7-9sinuata, obtusè crenata, saepe acute crenata, utrinque nervosa, subtus pubescentia, supra hirsuta, venosa.
Petioli foliis longiores, teretes, densè hirsuti.
Stipulae interfoliaceae, membranaceae, ovatae, latiusculae, deciduae.
Pedunculi oppositifolii, solitarii, longitudine ferè petiolorum, densè villosi.
Umbella parva, ferè 40flora, globosa, involucrata.
Involucrum foliolis pedicellis totidem, minimis, ovatis, acutis, persistentibus.
Flosculi minimi, breviter pedicellati.
Calyx vix manifestus, subinteger.
Petala ovata, alba.
Antherae suborbiculatae, lutescentes.
Habitat in *Regni Chilensis* campis humidis et umbrosis versus *Conceptionis* urbem, et in *Peruvia* ad *Huanuci* tractus.
Floret Decembri, et Januario.
Obs. Folia digitis fricata odorem gratissimum Melissae aut Citro non absimilem spirant.

HYDROCOTYLE incrassata.

9. H. foliis reniformibus 7-9sinuatis crenato-serratis, serraturis incrassatis albicantibus, umbellis multifloris globosis.
Planta herbacea, perennis, glabra.
Caulis horizontalis, repens, purpurascens, teres, geniculatus.
Rami diffusi, consimiles, longi.
Folia è geniculis, solitaria, 7-9 sinuata, sublobata, crenato-serrata; *serraturis* subtus albicantibus, incrassatis.
Petioli longi, teretes.
Stipulae interfoliaceae, membranaceae, deciduae, viridi-fulvescentes.
Umbella multiflora, globosa, involucrata.
Involucrum polyphyllum: *foliolis* parvis, pedicellis totidem.
Petala alba.
Semina suborbiculato-ovata.
Habitat in *Peruviae* umbrosis locis ad *Tarmae* oppidi tractus.
Floret Julio, et Augusto.
Obs. Hujus Speciei et praecedentis Icones et Specimina exsiccata in navis D. Petri Alcantarensis naufragio amissimus, uti etiam aliarum trium Specierum cum suis descriptionibus.

FRAGOSA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 43. Icon. XXXIV.

FRAGOSA reniformis. Icon. CCXLIX. *Fig. b.*

1. F. foliis reniformibus crenatis pilosissimis.
Planta herbacea, acaulis, densè pilosa, perennis.
Radix fusiformis, crassa, ramosiuscula.
Folia longe petiolata, reniformia, crenata.
Petioli confertissimi, bi-tripalmares, piloso-lanuginosi, leviter striati, infernè latiores, plani, supernè teretes.
Pedunculus foliis duplò brevior, teres.
Umbella simplex, multiflora, involucrata.
Involucrum multipartitum: *laciniis* linearibus, longitudine ferè corollae.
Flosculi omnes fertiles.
Petala alba.
Semina ovata, compressa, striata, fusca, calyce coronata.
Habitat in *Peruviae* umbrosis ad *Huassahuassi Tarmae* Provinciae arcem.

Floret Novembri, et Decembri.
Vulgo: *Frutilla del monte.*

Obs. Fragosa Genus cum *Bolace* et *Azorella* non parum congruit, ideoque haec tria Genera in unum fortasse conjungenda; quod rectius facere poterit, qui plantas vivas aut siccas invicem comparaverit.

Explic. Icon. 1 Flos integer patens. 2 Calyx germen coronans. 3 Petalum majus. 4 Petalum minus. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Fructus. 8 Semina. Omnia parum aucta.

FRAGOSA crenata. Icon. CCXLIX. *Fig. c.*

2. F. foliis obovatis, laciniis acute crenatis.
Planta caespitosa, pilosa.
Radix fusiformis, parum fibrosa.
Caulis brevissimus, ramosus.
Rami procumbentes, infernè fibrillosi.
Folia conferta, petiolata, obovata, subrotunda cuneiformiaque, acute crenata, subtus magis pilosa.
Petioli imbricati, compressi, infernè latiores, leviter striati.
Pedunculus unicus ex singula prole brevissimus.
Umbella simplex, radiata, involucrata, sub 14flora.
Involucrum octo-partitum; *laciniis* lineari-lanceolatis.
Flosculi breviter pedicellati.
Pedicelli compressi.
Petala alba.
Semina purpurascentia.
Habitat in *Peruviae* collibus frigidis *Huassahuassi* in Provincia *Tarmae.*
Floret Octobri, et Novembri.
Explic. Icon. 1 Flos integer patens. 2 Calyx germen coronans. 3 Petalum majus. 4 Petalum minus. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Fructus. 8 Semina.

FRAGOSA multifida. Icon. CCXLIX. *Fig. a.*

3. F. foliis obovato-cuneiformibus multifidis.
Planta caespitosa, perennis.
Radix perpendicularis, fusiformis.
Caulis brevis, repens, subdichotomus.
Rami teretes, radicantes radiculis capillaribus, foliis undique tectus.
Folia densè conferta, obovato-cuneiformia, multifida, aut profunde incisa; incisuris 3-7, supra setacea; setis albis longis; subtus glabra.
Petioli imbricati, compressi, ciliati.
Umbella terminalis, simplex, fertilis, pauciflora, involucrata.
Involucrum foliolis subulatis, pedicellis totidem.
Pedicelli brevissimi, teretes, subcompressi, uniflori.
Petala alba, patentia.
Semina obscurè fulvescentia, ovata, compressa, leviter nervosa, calyce coronata.
Habitat in *Peruviae Andium* alpibus circa *Huassahuassi* arcem.
Floret Novembri, et Decembri.
Explic. Icon. 1 Flos integer patens. 2 Calyx germen coronans. 3 Petalum majus. 4 Petalum minus. 5 Stamina. 6 Fructus. 7 Semina.

FRAGOSA spinosa.

4. F. foliis cuneiformibus trifidis spinosis.
Planta caespitosa.
Caules plures, prostrati, semipedales, ramosi, teretes.
Folia sessilia, cuneiformia, tricuspidata, aliquando 5-7-cuspidata, cuspidibus spinosis.
Umbella subsessilis, simplex.
Involucrum octophyllum; *foliolis* subulatis, ciliatis.
Flosculi fertiles et steriles intermixti, longitudine involucri.
Habitat in *Regni Chilensis* aridis et fruticetis ad *Huilquilemu*, Provinciae *Rere* oppidum.
Floret Novembri, et Decembri.

FRAGOSA corymbosa. Icon. CCL. *Fig. a.*

5. F. foliis imbricatis cuneiformibus trifidis minimis.
Planta caespitosa, (Lycopodii facie).
Radix fusiformis, fibrillosa.
Caules plures, aggregati in corymbum, semipalmares, dichotomi, fibrillosi.
Folia imbricata, sessilia, cuneiformia, trifida, confertissima, utrinque pilosa: *terminalia* in stellae formam disposita.
Flores in centro foliorum terminalium, sessiles, ut plurimum quatuor in singulo centro.
Umbella simplex, 2-3-4flora.
Corolla albido-lutescens.
Habitat in *Peruviae* alpibus humidis *Muña* ad *Tambo nuevo.*
Floret Augusto, et Septembri.
Explic. Icon. 1 Flos integer patens. 2 Calyx germen coronans. 3 Petalum majus. 4 Petalum minus. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Fructus. 8 Semina. 9 Folium magnitudine naturali. 10 Idem auctum.

FRAGOSA cladorrhiza. Icon. CCL. *Fig. b.*

6. F. foliis ovatis cuneiformibusque inciso-serratis.
Planta caespitosa, perennis, pilosa.
Radix ramosa, fibrillosa, sesquipalmaris.
Caulis brevissimus, ramosus.
Folia imbricata, ovata cuneiformiaque, inciso-serrata, obtusa, supra nitida; *serraturis* acumine minimo terminatis.
Petioli compressi, densè pilosi, infernè alati, ciliati.
Umbella terminalis, simplex, multiflora, subsessilis, involucrata.

Involucrum polyphyllum : *foliolis* lanceolatis , ciliatis, carinatis , persistentibus , pilosis.
Pedicelli uniflori , hirsuti.
Flores omnes fertiles.
Fructus orbiculatus , compressiusculus.
Semina semiglobosa.
Habitat in *Peruviae* collibus frigidis ad *Chavin* tractus in Provincia *Huamalies.*
Floret Septembri , et Octobri.
Explic. Icon. 1 Umbella cum involucro. 2 Flos integer patens. 3 Calyx germen coronans. 4 Petalum majus. 5 Petalum minus. 6 Stamina. 7 Pistillum. 8 Fructus. 9 Semina.

BOWLESIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 44. Icon. XXXIV.

BOWLESIA palmata. Icon. CCLI. *Fig. a.*

1. B. foliis palmatis multipartitis ; lobis laciniatis : *lateralibus* bipartitis.
Planta bipedalis , herbacea , annua , succosa , fragilis, hispida : setis 4-6 ex eadem basi in stellae formam divergentibus.
Radix tenuis , fibrillosa.
Caulis procumbens , filiformis , tenuis , angulatus , striatus , cavus , infernè subdivisus , supernè dichotomus.
Rami consimiles , saepe assurgentes.
Folia alterna , superiora opposita , palmata , 3-5multipartita ; *lobis* laciniatis ; lateralibus bipartitis : *lacinulis* setâ rigidulâ terminatis : subtus hispida , setis in stellae formam dispositis ; supra setis solitariis aut 2-6nis versus apices foliorum declinatis , inaequalibus.
Petioli leviter connati , foliis duplò longiores , tenues, striati , ad basim ciliati : *cilia* subulata , albida , scariosa , genicula caulis ambientia.
Pedunculi axillares ex divisionibus ramulorum terminalesque , triflori ; aliquando ex dichotomiis uniflori.
Umbella simplex, plerumque triflora , aut pedunculi uniflori.
Involucrum nullum , nisi setas tenues orbiculatim digestas dicas.
Petala alba , parva , aequalia.
Fructus pyramidalis , bipartibilis , glochidibus stellatis subsessilibus et pedicellatis intermixtis vestitus.
Semina pallescentia , extus concava , ferè calceiformia.
Habitat in *Peruviae* collibus arenosis in Provincia *Chancay* ad *Torreblanca* , *Pasamayo* et *Jequan* praedia.
Floret à Majo ad Augustum.
Explic. Icon. 1 Umbella. 2 Flos integer. 3 Calyx germen coronans. 4 Petalum. 5 Idem auctum. 6 Stamen. 7 Idem auctum. 8 Pistillum. 9 Fructus. 10 Semen interius conspectum. 11 Idem exterius visum. 12 Idem antice aspectum auctum. 13 Idem postice visum auctum.

BOWLESIA lobata. Icon. CCLI. *Fig. b.*

2. B. foliis lobatis longe petiolatis.
Planta procumbens , tenerrima , herbacea , annua , undique setis vestita. *Setae paginae superioris foliorum* 3-5 fasciculatae , versus foliorum margines declinatae, inaequales: *reliquae* octonae, in stellae formam patentes.
Radix tenuis , fibrillosa , lutescens.
Caules numerosi , sesquipedales , sibi invicem implicati, filiformes , graciles , leviter striati , ramosi.
Rami consimiles , axillares.
Folia opposita , cordata , latiuscula , 5-7lobata ; *lobis* ovatis , interioribus gradatim productioribus ; 5-7nervia , venosa.
Petioli connati , foliis 4-6plò longiores , graciles , teretes , striati , ad basim ciliis pluribus , lineari-subulatis, albidis, scariosis , margine laceris , genicula caulis ambientibus.
Pedunculi axillares , solitarii , filiformes , graciles , petiolis multo breviores.
Umbella simplex , triflora , rarius 5flora , ciliis scariosis involucrata.
Flores subsessiles.
Petala albido-lutescentia.
Semina ovata , extus leviter concava , pallescentia.
Habitat in *Peruviae Andium* alpibus versus *Pillao* vicum , in locis apricis et fruticetis.
Floret Junio , Julio et Augusto.
Explic. Icon. 1 Umbella. 2 Flos integer. 3 Calyx germen coronans. 4 Petalum. 5 Idem auctum. 6 Stamen. 7 Idem auctum. 8 Pistillum. 9 Fructus. 10 Semen interius visum. 11 Idem exterius conspectum. 12 Setae in stellae formam dispositae. 13 Setae in fasciculi formam digestae.

BOWLESIA incana. Icon. CCLXVIII. *Fig. a.*

3. B. foliis reniformibus crenato-lobatis.
Planta procumbens, herbacea, annua, (Antirrhini Cymbalariae habitu), setis numerosis , minimis , canescentibus undique obsita , unde tota incana. *Setae paginae superioris foliorum* quinae , senae , inaequales , fasciculatae , versus margines foliorum decumbentes ; *reliquae* duodenae in stellae formam patentissimae.
Radix tenuis , fibrillosa , fulvescens.
Caules 3-6 , divergentes , inaequales , ut plurimum semipedales , filiformes , striati , divisi in ramulos brevissimos axillares ; unicus ramulus in opposita axilla , in altera nullus.
Folia opposita , parva , reniformia , 5-7crenato-lobata, obsoletè 5-7nervia , avenia , crassiuscula ; crenaturis nonnullis bifidis.
Petioli connati , foliis paulò longiores , teretes , basi ciliati : *cilia* plura , genicula caulis ambientia , scariosa, alba , lineari-subulata.

Pedunculi axillares, solitarii, brevissimi.
Umbella simplex, triflora, ciliis scariosis involucrata.
Flores sessiles, parvi.
Petala alba, patentia.
Semina ovata, extus concavo-umbilicata, helvoli coloris.
Habitat in *Peruviae* collibus ad *Huanuci*, *Rondos* et *Pillao* tractus.
Floret Julio, et Augusto.
Explic. Icon. 1 Umbella. 2 Flos integer patens. 3 Calyx germen coronans. 4 Petala. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Fructus. 8 Idem valde auctus. 9 Semina intus et extus visa. 10 Setae paginae inferioris folii in stellae formam, auctae. 11 Setae paginae superioris folii fasciculatae, auctae.

TRIGYNIA.

RHUS. Linn. *Gen. pl. p.* 197.

RHUS striatum. Icon. CCLII. *Fig. a.*

1. R. foliis impari-pinnatis, foliolis integerrimis ovato-lanceolatis subtus subtomentosis, racemis maximis, baccis striatis.

Arbor quadriorgyalis.
Truncus erectus, teres, fuscus, comâ frondosâ terminatus.
Rami diffusi, teretes: *teneri* purpurascentes, nitidiusculi.
Folia alterna, 4-5-6juga cum impari: *foliola* oblique ovato-lanceolata, repanda, integerrima, subtus subtomentosa, supra glabra, nitida.
Petioli purpurei, basi incrassati.
Racemi axillares, compositi, pedales et ultra.
Pedunculi *inferiores* oppositi; *reliqui* Pedicellique alterni.
Calyx minimus, viridis.
Corolla alba, calyce quadruplò major.
Antherae luteae.
Bacca subrotunda, vix compressa, nigra, pisi magnitudine, leviter striata, parum carnosa.
Semen striatum, compressiusculum, cinerei coloris.
Habitat in *Chinchao* nemoribus ad *Macora* tractus.
Floret Julio, et Augusto.
Usus: Corticis succus tincturam valde atram praebet.
Explic. Icon. 1 Flos integer patentissimus. 2 Petalum. 3 Pistillum cum staminibus.

STAPHYLAEA. Linn. *Gen. pl. p.* 198.

STAPHYLAEA heterophylla. Icon. CCLIII. *Fig. a.*

1. S. foliis ternatis quinatis pinnatisque serratis.

Frutex tri-undecimorgyalis (Sambuci habitu).
Truncus crassus, erectus, comâ valde frondosâ terminatus.

Rami patuli, teretes, geniculati: articulationibus subvaginatis, internè ciliatis: *teneri* medullosi.
Folia opposita, quinato-pinnata, aliquando ternata septenataque: *foliola* dependentia, oblongo-lanceolata, ovalia ovato-oblongaque, acuminata acutaque, serrata, glaberrima, utrinque nitida, venosa; serraturis incrassatis, subcallosis, ut plurimum bipalmaria.
Petioli *communes* subconnati, longi, teretes: *partiales* breves, canaliculati.
Glandulae inter singulum foliolorum par duae, ovatae, acutae, atrae.
Racemi terminales, magni, compositi, erecti.
Pedunculi et Pedicelli brachiati, bracteolis parvis, subulatis, deciduis suffulti.
Calyx albicans, aliquando purpurascens, pentaphyllus: *foliolis* ovalibus, inaequalibus, sibi invicem incumbentibus, concavis, coloratis, corollâ brevioribus; inferus, deciduus.
Petala quinque, alba, conniventia, oblonga, aequalia, concava.
Nectarium parvum, anulare, germen ambiens, emarginaturis quinque, lutescens.
Filamenta quinque, subulata, receptaculo inter petala et nectarium inserta, corollae ferè longitudine. *Antherae* subincumbentes, ovatae, basi semibifidae, biloculares, anticè longitudinaliter dehiscentes, luteae.
Germen subrotundum, trifidum. *Styli* tres, longitudine staminum, adpressi, germine adulto remoti. *Stigmata* obtusa, simplicia.
Capsula unica, subrotunda, obsoletè trigono-triloba, non inflata, trilocularis, rudimentis stylorum tricornis, longitudinaliter trivalvis; valvulis coriaceis; dissepimentis membranaceis.
Semina duo in singulo loculo, ossea, nitida, ovata, plerumque subreniformia, basi foveolata, hinc convexa, inde 2-3-4hedra.
Obs. Calycis foliolum unum alterumve ad capsulae ferè maturitatem marcidum persistit. Semina aliquando solitaria, rarius tria.
Habitat in *Andium* nemoribus ad *Mesapata* et *Muña*.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Flos erectus. 2 Calyx. 3 Idem cum pistillo et staminibus. 4 Petala. 5 Pistillum cum nectario et staminibus. 6 Pistillum nectario cinctum. 7 Capsula. 8 Eadem dehiscens. 9 Semina.

EVOLVULUS. Linn. *Gen. pl. p.* 204.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* pentaphyllum: foliolis lanceolatis, acutis; inferum, persistens.
Cor. rotato-campanulata. *Tubus* calyce brevior. *Limbus* patens, quinquelobus: *lobis* vix emarginatis.
Stam. *Filamenta* quinque, capillaria, apice tubi corollae

inserta. *Antherae* incumbentes, lineari-sagittatae, longae, corollâ breviores.

Pist. *Germen* globosum. *Styli* duo, longitudine staminum, profunde bifidi ; *laciniis* capillaribus, divergentibus. *Stigmata* simplicia, obtusa.

Per. *Capsula* globosa, bilocularis, quadrivalvis, tetrasperma : valvulis aequalibus.

Sem. bina, orbiculata, hinc plana, inde convexa.

EVOLVULUS villosus. Icon. CCLIII. *Fig. b.*

1. E. foliis oblongo-ovalibus, caulibus procumbentibus, pedunculis longis bifloris.

Planta herbacea, villosa, perennis.

Radix simplex, perpendicularis, infernè fibrosa, fusca.

Caules plures, procumbentes, filiformes, graciles, inaequales, ut plurimum sesquipedales, simplicissimi.

Folia alterna, breviter petiolata, secunda, ad caelum spectantia, oblongo-ovalia cum brevi acumine, plana, utrinque villosa, parum venosa, *inferiora* et *superiora* gradatim minora.

Petioli brevissimi, vix lineares.

Pedunculi capillares, foliis duplò longiores, axillares, solitarii, bifidi, biflori, rarius 1-3flori, apice incurvi.

Bracteae duae, ad divisionem pedunculorum, oppositae, subulatae, erectae.

Flos alter praecotior et longius pedicellatus.

Calyx villosus.

Corolla caeruleo-violacea, patens.

Capsula helvoli coloris, grani piperis magnitudine.

Semina nigra.

Habitat copiosè in *Peruviae* collibus arenosis ad *Limae, Surco* et *Lurin* tractus.

Floret Novembri, et Decembri.

Vulgo: *Campanillas azules de Lomas.*

Explic. Icon. 1 Stamina. 2 Pistillum. 3 Capsula cum calyce et bracteis.

EVOLVULUS sericeus. Icon. CCLII. *Fig. b.*

2. E. foliis ovatis acutis, caulibus procumbentibus, pedunculis brevibus uni-bifloris.

Planta suffruticosa, incana, densè sericea.

Radix ramosa, fibrillosa, fusca, intus lutescens.

Caules plurimi, inaequales, procumbentes, simplices ramosique, ut plurimum pedales, filiformes, graciles; *seniores* infernè glabri.

Folia sparsa, conferta, parva, ovata, acuta cum brevi acumine, subsessilia, integerrima, canescentia.

Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, aliquando biflori, foliorum vix longitudine, tenues, incurvi, infra medium bracteolis duabus oppositis, infernè attenuati.

Bracteae parvae, subulatae.

Calyx sericeus ; *laciniis* erectis, subulatis.

Corolla caerulea, extus villosa, calyce triplò major, rotato-campanulata, patens.

Antherae luteae, lineari-sagittatae.

Styli duo, profunde bifidi ; *laciniis* divergentibus.

Capsula glabra, helvola, tetrasperma.

Semina fusca.

Habitat in *Peruviae* collibus aridis, argillosis et arenosis, in circuitu *Huanuci* urbis.

Floret Novembri, et Decembri.

Explic. Icon. 1 Calyx cum bracteis duabus. 2 Corolla cum staminibus. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Capsula cum calyce. 6 Eadem absque calyce. 7 Eadem dehiscens. 8 Semina.

MALESHERBIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 45.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* tubulosum, inflatum, coloratum. *Tubus* magnus, oblongus, decemstriatus. *Limbus* parvus, quinquepartitus ; *laciniis* ovatis, acutis, patentibus ; inferum, persistens.

Cor. *Petala* quinque, lanceolata, fauci calycis ad interstitia inserta, laciniis breviora.

Nectarium: corona membranacea, ad tubi faucem adnata, 10partita : *laciniis quinque alternis* angustioribus, vix brevioribus, bidentatis: *quinque calycinis respondentibus* latioribus, 2-3-4dentatis ; *denticulis* inaequalibus.

Stam. *Filamenta* quinque, filiformia, apice attenuata, calyce longiora, receptaculo pistilli inserta, persistentia. *Antherae* incumbentes, sulcatae, oblongae, basi bifidae, biloculares, post pollinis effusionem ovales, longitudinaliter lateribus dehiscentes.

Pist. *Germen* receptaculo villoso, pedicello cavo insidens, lineari-oblongum, obsoletè triangulare. *Styli* tres, filiformes, staminibus longiores, infra apicem germinis orbiculatim affixis, usque ad basim decurrentes, erecti, persistentes. *Stigmata* subclavata, truncata.

Per. *Capsula* lineari-oblonga, basi angustior, sexnervis, obsoletè trigona, unilocularis, membranaceo scariosa, infernè seminifera, supernè vacua, ab apice ad stylorum insertionem trivalvis : *valvulis* acutis, carinatis, crassioribus.

Sem. plura, parva, ovalia, hinc convexa, inde concava, striata, rugosa, altera extremitate funiculo longiusculo incurvato, receptaculis tribus nervosis per capsulae parietem à basi ad medium et ultra decurrentibus affixa.

Obs. 1. Antherae oblongae, basi bifidae, non sagittatae, uti in Prodromo diximus.

Obs. 2. Malesherbia est Genus *Tacsoniae* confine.

MALESHERBIA thyrsiflora. Icon. CCLIV.

1. M. foliis lineari-lanceolatis sinuatis dentatis.

Gynopleura (tubulosa) Cavan. *Icon. vol. 4. pag. 52. num. 413. tab. 375.*

Planta suffruticosa, 2-3pedalis, foetida, hirsutissima,

aspera, viscosa, (Lobeliarum quodammodo habitu).

Caulis ramosus, erectus, teres.

Rami inflexi, simplicissimi, teretes, densè villosi, incani, infernè nudi, vestigiis foliorum scabri.

Folia confertissima, sessilia, lineari-lanceolata, acuta, undulata, canaliculata, dentata, sinuata: *juniora* 2-4-6 ex singula foliorum majorum axilla, inaequalia, linearia, denticulata.

Flores axillares, solitarii, in thyrsum terminalem digesti, breviter pedunculati.

Pedunculi teretes, ad apicem foliolis 4-6, sparsis, inaequalibus, lineari-subulatis.

Calyx sesquipollicaris, luteo-sulphureus, extus densè villosus, tubulosus, suburceolatus, decemstriatus: *Tubus* intus glaber, decemstriatus: *Limbus* parvus, patens, utrinque hirtus.

Petala luteo-sulphurea, intus extusque villosa, marcida persistunt, uti etiam calyx, nectarium, filamenta, et styli.

Filamenta parum inaequalia. *Antherae* luteae.

Pistillum receptaculo pedicellato, truncato, villoso insidens: *Pedicellus* cavus, unilocularis, lineae longitudine.

Capsula membranaceo-scariosa, apice crassior, cartilaginea, extus hirsuta.

Semina parva, helvolo-fulva.

Habitat in *Peruviae* argillosis aridis et calidis locis versus Sancti Petri de *Máma* vicum, et circa *Collique* tractus, ubi anno 1778 hanc plantam observavimus, et postea in *Cheuchin* cl. D. Dombey detexit. Nos tandem in Provinciarum *Huarocheri* et *Cantae* praeruptis et siccis collibus ipsam offendimus, et numerosa exemplaria exsiccata et iconem in navi D. Petri Alcantarensis amisimus.

Floret Aprili, et Majo in *Cantae*, *Huarocheri* et *Caxatambo* Provinciis, fructificatque à Junio ad Augustum.

Obs. 1. Quo tempore Prodromum evulgabamus, nondum in promptu erant adversaria omnia hujus Florae, neque Icon, neque hujus plantae specimina sicca; quamobrem *Malesherbiae nostrae* characterem genericum naturalem omnibus numeris absolutum prodere non licuit; quod nunc facimus icone, speciminibus et commentariis manuscriptis tandem receptis adjuti, illum equidem reformantes. Neque parum nos movit ad hoc efficiendum D. Cavanilles sequens Obs. 2. quam characteri generico subjecit *suae Gynopleurae*, quo nomine, ut ipse animadvertit, usus est quousque memoratus Character à nobis perficeretur. „ Huic Generi, *inquit*, videtur simillimum quod in Prodromo Flor. Per. et Chilensis describitur nomine *Malesherbiae*, quin et ipsissimam cum mea prima specie plantam esse dixerim, nisi Prodromi auctores qui vivam in natali solo explorarunt, habere dixerunt Stylos tres, basi germinis affixos et squamulas (quod illis nectarium audit) sex tridentatas, nec de figura seminum, ipsorumque receptaculis quidquam adjunxerint. Interea dum memorati auctores secundis curis eam plantam dilucident, prodeant nostrae quasi diversum genus."

Obs. 2. Interea tamen D. Ventenat in quibusdam ephemeridibus gallicis non dubitavit asserere, quoniam character cl. Cavanilles *Gynopleurae* plenior esset, servandum hoc nomen, et *Malesherbiae* supprimendum ab ejusdem plantae inventoribus in celeberrimi viri D. Malesherbes memoriam impositum. Sed si haec nova in botanicem inducta opinio valeret; plaeraque Genera hucusque à botanicis descripta absdubio subverteret, cùm sint paucissima, sive exotica, sive europaea, quae perfecte elaborata sint. Quin etiam ex sequenti *Gynopleurae* Characteris generici descriptione, et ejus cum nostro jam reformato et aucto comparatione animadvertant botanici necesse est, vel ex ipsa regula à D. Ventenat proposita *Gynopleurae* nomen delendum esse, et *Malesherbiae* reponendum.

CHARACTER GENERICUS GYNOPLEURAE *D. CAVANILLES.*

Calix inferus, persistens, oblongus, striatus, supernè quinquepartitus.

Corollae Petala quinque, laciniis calicis brevia, cum quibus alternant, illarumque divisuris internè affixa: ad quorum basim corona decem squamularum alternis angustioribus bidentatis, reliquis latioribus tridentatis.

Genitalia pedicellata.

Staminum filamenta quinque filiformia, calyce longiora, pedicello inserta paulò infra germen: antherae ovato-oblongae, sagittatae, incumbentes.

Germen ovatum obscurè trigonum: styli tres paulò infra germinis apice adfixis staminibus subaequales: stigmata capitato-peltata.

Capsula figura germinis, apice dehiscens, unilocularis polysperma, trivalvis.

Semina ovata, sulcata, altera extremitate adherentia receptaculis tribus linearibus, valvularum parietibus adnatis: funiculi umbilicares brevissimi.

Explic. Icon. 1 Flos integer cum foliis floralibus. 2 Idem longitudinaliter scissus. 3 Pars calycis superior secta et expansa, Petala et Nectarium; omnia aucta. 4 Filamentum cum anthera dehiscente. 5 Idem cum anthera deflorata. 6 Pistillum cui receptaculum pedicellatum subjicitur. 7 Capsula intra calycem cum filamentis stylisque. 8 Eadem dehiscens cum receptaculo, filamentis stylisque persistentibus. 9 Capsula scissa et expansa, Semina receptaculis inserta exhibens. 10 Semina cum suis funiculis. 11 Eadem aucta.

CLASSIS VI.

HEXANDRIA MONOGYNIA.

BROMELIA. Linn. *Gen. pl. p.* 212.

BROMELIA ananas.

1. Bromelia foliis ciliato-spinosis mucronatis, spicâ comosâ. Linn. *sp. plant. tom. 2. p. 6.*

Colitur in *Andium Peruviae* nemoribus, in locis imis calidissimis et petrosis, ubi toto ferè anno pluviae sunt frequentes.

Floret, fructificatque continuò per totum annum.

Vulgo appellatur *Piña*, et Fructus *Piñas* et *Ananas*.

Obs. 1. In *Xauxae*, *Tarmae* et *Huanuci* montibus colliguntur fructus, quatuor aut sex libras pendentes, et sapidissimi, modo maturi decerpantur, quod rarò accidit, quoniam Indi in montibus praematurè eos decerpunt, ut scilicet eosdem venales in vicos et urbes transferant, quin fermentatione corrumpantur. *Huanuco*, aliisque *Peruviae* locis saccharo condiunt; et *Piñas farctas* vocant: aqua ferventi immergunt, qua rejecta leviter coquunt et meditullium extrahunt, ex quo amygdalis, citro, cinamomo, saccharo aliisque condimentis permixto massam gratissimam fingunt, quâ illos farciunt et sacchari tribus aut quatuor involucris incrustant, ut exterius sicci et interius molles diutissime serventur. Quoddam quoque conditum molle ex iisdem fructibus conficiunt, carnem in taleolas aut in massam redactam cum saccharo coquentes, praecedenti certe non minus jucundum. Satis maturi et in taleolas secti frequenter ab incolis vino, saccharo et cinamomo irrorati comeduntur, et saporis quidem praestantissimi; crudi etiam et absque ullo condimento, dummodo ad perfectam maturitatem pervenerint, palato gratissimi sunt, et vi refrigerante pollent, fragrantissimum odorem emittentes. Postremo ex iisdem quemdam potum vinosum, *Chicha* appellatum, incolae parant.

Obs. 2. Nostras hujus Speciei descriptionem et iconem hîc edere praetermisimus, quòd utrumque satis accurate praestiterunt alii scriptores: quò accedit historiam ejus botanicam omnibus numeris absolutam D. D. Philippo Ludovico Gilii et Caspare Xuarez in Observationibus Phytologicis Romae anno MDCCLXXXVIII. evulgatam fuisse.

BROMELIA incarnata. Icon. CCLV.

2. B. foliis serrato-spinosis obtusis cum acumine, racemo simplici flexuoso, bracteis inferioribus maximis lanceolatis.

Planta perennis, formosissima: *proles* plurimae radicales.

Radix fibrosa, fasciculata.

Caulis solitarius, erectus, ulnaris, teres, nodosus, simplicissimus, infernè foliosus, supernè bracteatus.

Folia imbricata, ampla, cymbiformia, subcoriacea, striata, à medio ad apicem serrato-spinosa, subtus albida, utrinque glabra, laevia: *inferiora* oblonga, obtusa cum acumine, bipedalia: *superiora* oblongo-ensiformia.

Spinae purpureo-atrae.

Bracteae infra racemum nonnullae, alternae, maximae, lanceolatae, cymbaeformes, striatae, puniceae, subamplexicaules.

Racemus terminalis, pedalis, flexuosus, pulverulentus, canescens, multiflorus.

Flores sparsi, sessiles, totidem bracteis, germine brevioribus, lanceolatis, concavis, striatis, puniceis suffulti.

Calyx superus, persistens, incano-purpurascens, tripartitus; *laciniis* lanceolatis, acutissimis, striatis, petalis quadruplò brevioribus, erectis.

Petala tria, lanceolata, acuta, bipollicaria et ultra, aequalia, erecto-patula, purpureo-violacea, marcida spiraliter in cuculli formam convoluta.

Nectarium: *Squamae* sex, ovatae, staminibus alternantes; singulae binae ad basim singuli petali.

Filamenta sex, filiformia, petalis breviora, purpurea. *Antherae* lineares, erectae, luteae, biloculares.

Germen turbinatum, tomentosum, incanum. *Stylus* purpureus, filiformis, corollâ longior. *Stigmata* tria, erecta, interius lacera, spiraliter contorta.

Bacca turbinata, ad medium coarctata, rugoso-striata, oleae drupae magnitudine, parum carnosa, pulposa, extus tomentosa, canescens, trilocularis.

Semina plurima, minima, fusca.

Habitat in *Andium* nemoribus supra arbores ad *Pozuzo* vici tractus.

Floret Septembri, et Octobri.

Explic. Icon. 1 Calyx scissus petala, stamina et nectarii squamas ostendens. 2 Petalum cum stamine et nectarii squamis. 3 Pistillum cum calyce.

BROMELIA sphacelata.

3. B. foliis ensiformibus acutissimis ciliato-aculeatis, spicis axillaribus conico-truncatis, bracteis medio sphacelatis.

Planta acaulis. *Proles* numerosae ex eadem radice.

Radix fasciculata; *fibrae* filiformes.

Folia numerosa, erecta, ensiformia, acutissima, ciliato-aculeata, sibi invicem incumbentia, leviter carinata.

Aculei parvi, incurvi, rigidi.

Spicae axillares, sessiles, conico-truncatae, solitariae, multiflorae.

Flores imbricati, sessiles; bracteis duplicatis interstincti.

Bracteae *exteriores* lanceolatae, acuminatae, ciliato-aculeatae, per basim albescentes, ad medium sphacelatae, superius virescentes: *interiores* lineari-lanceolatae, membranaceae, carinatae, inferius albidae, superius fuscae.

Calyx superus, persistens, tripartitus; *laciniis* semi-lanceolatis, acutis, erectis, concavis, longitudine corollae.

Petala lanceolata, erecta, marcescentia, purpurea.

Nectarium squamis ferè obsoletis.

Filamenta sex, subulata, compressiuscula, corollae longitudine. *Antherae* erectae, lineares, basi leviter bifidae, luteae.

Germen inferum, cuneiforme, trigonum. *Stylus* trigonus, trisulcus, longitudine staminum. *Stigmata* tria, acuta, staminibus longiora.

Bacca trigona, cuneiformis, trilocularis, calyce et corollâ marcidis coronata, alba, parum pulposa.

Semina plura, oblonga, fusca.

Habitat in *Regni Chilensis* umbrosis et subhumidis ad *Conceptionis* urbem.

Floret à Februario ad Junium.

Vulgo: *Chupon*, et Fructus *Chupones*.

Usus: Incolae et praesertim pueri pulpam aut succum dulcem et gratum avide sugunt et comedunt.

BROMELIA bicolor.

4. B. foliis ensiformibus ciliato-aculeatis; interioribus puniceis, floribus aggregato-conicis, bracteis oblongis.

Planta acaulis. *Proles* plures, aggregatae.

Radix fasciculata, filiformis.

Folia in stellae formam sibi invicem incumbentia, erecto-patentia, ensiformia, ciliato-aculeata, tomento albicante adspersa; *interiora* punicea.

Aculei incurvati.

Flores in foliorum centro in figuram conicam aggregati, bracteis obvallati.

Bracteae binae: *exteriores* oblongae, imbricatae, apice ciliato-aculeatae: *interiores* cuneiformes, adpressae, apice densè ciliatae.

Calyx trigonus, tripartitus; *laciniis* ovatis, erectis, persistentibus, furfure canescenti obtectis.

Petala tria, oblonga, infernè attenuata, erecta, calyce parum longiora, caerulea.

Nectarium: denticuli minimi, bini, ad basim singuli petali.

Filamenta sex, subulata, corollâ breviora, receptaculo inserta. *Antherae* erectae, subsagittatae, caerulescentes.

Germen cuneiforme, trigonum, inferum. *Stylus* filiformis, filamentorum longitudine. *Stigmata* tria, acuta.

Bacca cuneiformis, trigona, trilocularis, incana.

Semina plura, oblonga, parva.

Habitat in *Regni Chilensis* littoribus ad *Conceptionis* urbis tractus supra saxa.

Floret Aprili, et Majo.

POURRETIA. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. p.* 44. Icon. VII.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* tripartitum; *laciniis* ovato-lanceolatis, margine sibi invicem convolutis: inferum, persistens, in fructu duplò brevius.

Cor. *Petala* tria, lanceolata, inter se convoluta, erecta, apice patenti-reflexa, spiraliter marcescentia cum staminibus, et stylo.

Stam. *Filamenta* sex, subulata, planiuscula, erecta, receptaculo inserta, corollae ferè longitudine. *Antherae* incumbentes, lineares, basi emarginatae, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscentes.

Pist. *Germen* ovatum, obtusè trigonum. *Stylus* filiformis, triqueter, trisulcus, staminum longitudine. *Stigmata* tria, linearia, subspiralia.

Per. *Capsula* ovata, obtusè trigona, trisulca, trilocularis, trivalvis: *valvulis* patulis, septiferis: *septa intermedia* in centro coadunata loculos conficientia, utrinque alâ brevi, cui semina inserta, aucta.

Sem. numerosa, compressa, cuneiformia, obliquè subdeltaeformia, membranâ brevi, albâ, circumdata.

Obs. 1. *Pourretiae* Genus à *Pitcairniae* Genere recedit *Calyce* prorsus infero: *Antheris* incumbentibus, linearibus: Capsulae *Valvulis* septiferis: Seminibus compressis, membranâ brevi cinctis.

Obs. 2. Haud rectè contendit D. Cavanilles in *3. Icon. vol. Praefatione p.* 4. nostrum *Pourretiae* Genus idem esse cum *Pitcairnia* L' Heritieri *Sert. Angl. p.* 7. *tab.* 11. ad quod Genus paulò post redigemus nostras quatuor legitimas *Pitcairniae* Species, characterem naturalem completum ejusdem Generis constituentes, et illius insignis botanici reformantes.

Obs. 3. In Prodromo calycem *Pourretiae* triphyllum esse diximus, nunc calycem tripartitum descripsimus, quia ad capsulae destructionem persistit, quod in calycibus polyphyllis minime contingit.

Habitus.

Plantae prolibus numerosis. *Radices* caudice crassô, fibrosae, longissimae. *Caules* infernè foliosi. *Folia* densè imbricata, ensiformia, margine aculeata. *Flores* in spicam coarctatam simplicem, aut compositam bracteis totidem distincti.

POURRETIA lanuginosa. Icon. CCLVI.

1. P. spicâ maximâ thyrsoideâ, foliis ensiformibus aculeatis, calycibus lanatis, corollis obscurè viridibus.

Planta perennis. *Proles* numerosae, aggregatae.

Radix supernè crassa, longissima, infernè in fibras horizontales crassiusculas divisa.

Caulis erectus, simplicissimus, biulnaris, teres, ad basim vestigiis foliorum squamatus, et incrassatus.

Folia densè imbricata, ensiformia, carinata, glabra, margine lanuginoso, aculeato: *inferiora* patenti-reflexa; *superiora* alternatim sparsa, amplexicaulia, erecto-patula.

Aculei *inferiores* recurvi; *reliqui* incurvati.

Flores in spicam terminalem, thyrsoideam, maximam imbricati, bracteis totidem distincti.

Bracteae ovatae, acutae, extus lanuginosae, erectae, tandem apice reflexae.

Calyx tripartitus, extus lanuginosus, cinereus: *laciniis* in fructu duplò brevioribus.

Petala tria, obscurè viridia, infernè in tubi formam convoluta, supernè patenti-reflexa, marcida purpurei coloris, spiraliter contorta cum staminibus et stylo.

Antherae incumbentes, lineares, luteae.

Germen superum, ovatum, trigonum, trisulcum. *Stylus* trisulcus, staminum longitudine. *Stigmata* tria, subspiralia.

Capsula fusca, nitida, ovato-pyramidalis, profundè trisulca, trilocularis; calyce, petalis staminibusque marcidis obvoluta, apice trivalvis: *valvulis* patulis, septiferis.

Semina fusci coloris, cuneiformi-deltoidea.

Habitat in *Peruviae* nemoribus et collibus ad *Pozuzo*, *Panao*, *Yanamayo*, *Pillao* et *Acomayo*, inter saxa in runcationibus vulgò *Carpales* dictis.

Floret Septembri, Octobri et Novembri.

Vernacule Mahra.

Obs. Ex spica gummi crystallinum undique profluit.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Petalum. 4 Stamen. 5 Pistillum. 6 Capsula cum calyce. 7 Capsula. 8 Eadem dehiscens. 9 Valvula extus conspecta. 10 Eadem intus visa cum seminibus. 11 Semina.

POURRETIA pyramidata. Icon. CCLVII.

2. P. spicâ pyramidatâ, foliis ensiformibus margine purpureis aculeatis, corollis luteo-virescentibus.

Planta perennis, pluribus prolibus, aggregatis.

Radix crassa, fibrosa: *fibrae* longissimae, filiformes.

Caulis solitarius, ulnaris, teres, ad medium foliis tectus.

Folia densè imbricata, ensiformia, canaliculata, obscurè viridia, margine purpurascentia, glabra, aculeata: aculeis incurvatis.

Flores in spicam pyramidalem, coarctatam dispositi, bracteis totidem distincti.

Bracteae ovatae, acuminatae, concavae, aculeatae, margine rubrae.

Calyx glaber, viridis, tripartitus: *laciniis* ovatis, acutis, concavis, adpressis; inferus, persistens, obsoletè trigonus.

Petala tria, obovato-oblonga, magna, aequalia, ultra medium in se invicem convoluta, luteo-virescentia.

Filamenta sex, subulata, glabra, longitudine ferè petalorum. *Antherae* lineares, incumbentes, crassiusculae, biloculares, longitudinaliter utrinque dehiscentes, luteae.

Germen superum, ovatum, acutum, trigonum. *Stylus* filiformis, obtusè trigonus, longitudine staminum. *Stigmata* tria, margine lacero fimbriata.

Capsula ovata, acuta, trigona, calyce et petalis marcidis tecta, trilocularis, apice trivalvis: *valvulis* patulis, septiferis: *septa intermedia* loculamenta dividentia, utrinque alâ brevi dilatatâ seminiferâ aucta.

Semina numerosa, margine membranaceo cincta, subcuneiformia.

Habitat in *Peruviae* montibus *Chinchao* ad *Macora* et in *Chavin* tractibus versus *Monzon*, supra saxa in runcationibus.

Floret à Julio ad Octobrem.

Vernacule Achupalla.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Petala. 4 Pistillum cum staminibus et calycis basi. 5 Idem absque staminibus.

POURRETIA coarctata.

3. P. spicâ compositâ coarctatâ, foliis ensiformibus aculeatis, corollis luteis ad basim maculâ purpureâ.

Renealmia (*ramosa lutea*) foliis spinosis: vulgo *Puya*. Fewill. *tom. 3. p. 59. Pl. 39.*

Puya. Molin. *Comp. Hist. chil. ed. hisp. p. 170.*

Planta perennis, nonnullis prolibus aggregatis.

Radix fibrosa, fasciculata; fibrae filiformes, ut plurimum bipedales, horizontaliter divergentes.

Caulis biorgyalis, erectus, simplicissimus; infernè foliosus, foliorum vestigiis confertim imbricatis valde incrassatus; supernè teres, squamis aut foliolis brevibus, alternis, remotis, semiamplexicaulibus, sublanceolatis, acutis.

Folia numerosa ad caulis basim, imbricata, quadripedalia, latitudine bipollicaria, canaliculata, utrinque glabra, supra nitida, margine aculeata, dilute viridia.

Aculei remoti, rigidi: *inferiores* recurvi, albâ lanugine tecti; *superiores* incurvati, glabri.

Spica terminalis, subpyramidata, maxima, composita plurimis spiculis pedunculatis, coarctatis, lanuginosis, subpedalibus, bracteis stipatis, multifloris.

Flores densè spicati, sessiles, bracteis totidem distincti.

Bracteae *spicularum* lanceolatae, semiamplexicaules, marcescentes: *florales* oblongae, acuminatae, carinatae.

Calyx inferus, tripartitus, tomentosus: *laciniis* ovato-lanceolatis, acutis, adpressis, persistentibus.

Petala tria, lanceolata, bipollicaria et ultra, apice patenti-reflexa, luteo-virescentia, basi purpureâ maculâ notata, marcida spiraliter contorta.

Filamenta sex, subulata, calyce longiora. *Antherae* li-

neares, basi leviter bifidae, lutescentes.

GERMEN ovatum, obtusè trigonum. *Stylus* filiformis, trisulcus, filamentorum longitudine. *Stigmata* tria, subspiralia.

CAPSULA ovata, obtusè trigona, trisulca, trilocularis, trivalvis, fusca.

SEMINA parva, numerosa, fusci coloris.

HABITAT in *Regni Chilensis* collibus aridis per *Conceptionis*, *Puchacay*, *Itatae* Provincias, et passim in *Mochita*, *Carcamo Quebrada* et *Puntilla*.

FLORET Septembri, et Octobri.

VERNACULE Cardon, et *Puya*.

USUS: Chilenses caule, cujus materia suberosa et levissima est, ad obturamenta doliolorum, lagenarum et aliorum vasculorum formanda, utuntur. Ex spica florum quoddam extractum adversus herniarum rupturas praestantissimum conficiunt.

Obs. 1. In *Systemate vegetab.* nostro Scapum pro Caule et Racemum pro Spica diximus; quoniam Planta aut etiam singulae hujus proles unicum caulem simplicissimum supernè nudum, aut paucis squamis remotis tantummodo praeditum, proferunt, atque ideo incolae florum spicam compositam racemum appellant: nunc opportunum nobis visum est, caulem et spicam nuncupare Linnaei definitionibus inhaerentes.

Obs. 2. Hujus Speciei iconem in naufragio D. Petri Alcantarensis amisimus.

PITCAIRNIA. L'HERITIER. *Sert. Angl. pag. 7. tab.* 11.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

CAL. *Perianthium* subinferum, basi turbinatâ, tripartitum, persistens: *laciniis* ovato-lanceolatis, concavis, erectis.

COR. *Petala* tria, lineari-lanceolata, calyce multò longiora, obsoletè nervosa, marcida inter se spiraliter contorta.

Nectarium: *Squama* brevis, membranacea, semicircularis, tricrenata; inferiori singulorum petalorum parti adnata, utrinque ferè ad basim decurrens.

STAM. *Filamenta* sex, receptaculo inserta, subulata, compressa, corollâ paulò breviora. *Antherae* suberectae, longae, lineari-sagittatae, petalorum longitudine.

PIST. *Germen* subsuperum, ovatum, glabrum. *Stylus* triqueter, filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* tria, linearia, spiraliter revoluta.

PER. *Capsula* pyramidata, trigona, trisulca, angulis obscurè sulcatis, trilocularis, introrsum trivalvis: *valvulis* ovatis, acutis, interius nervo intermedio longitudinali, marginibus introflexis dissepimenta conficientibus.

SEM. numerosa, oblongiuscula, utrinque in longam setam tenuissimam terminata. *Receptacula* ad valvularum margines interiores adnata, membranacea, vix prominentia.

Obs. 1. Hoc Genus à *Pourretiae* Genere differt: *Calyce* subinfero: *Antheris* suberectis, lineari-sagittatis: *Capsulae Valvulis* marginibus introflexis dissepimenta conficientibus: *Seminibus* oblongis, utrinque in setam longam productis.

Obs. 2. Nectariferam squamam in *paniculata* et *ferruginea Pitcairnia* non offendimus; sed cùm in reliquis characteribus genericis nostrae quatuor species inter se omnino conveniant; in idem Genus inserimus, veluti *Cuscutam odoratam* corollis squamatis et *Cuscutam corymbosam* corollis nudis in 2. tom. p. 69.

HABITUS.

Plantae numerosis prolibus, Bromeliis affines. *Radices* fibrosae, fasciculatae. *Scapi* simplicissimi aut paniculati, squamati. *Folia* radicalia sibi invicem incumbentia, ensiformia, canaliculata, marginibus aculeata. *Flores* bracteis stipati.

PITCAIRNIA LANUGINOSA. ICON. CCLVIII.

1. P. scapo racemoso-spicato simplicissimo, foliis angustis ensiformibus subtus lanuginosis ultra basim aculeatis, corollis violaceis.

PLANTA perennis, nonnullis prolibus, patulis.

RADIX fasciculata, filiformis, undique fibrillosa, flexuosa, dilute fusca.

SCAPUS simplicissimus, erectus, biulnaris, teres, ad basim foliosus, deinde squamis alternantibus, sensim remotioribus vestitus.

FOLIA sibi invicem incumbentia, longitudine scapi, ensiformia, angusta, acutissima, subtus lanuginosa, incanâ, striato-nervosa, ultra basim marginibus aculeata, supernè inermia: *tenera* à basi usque ad apicem aculeata, purpurascentia.

ACULEI foliorum tenuiorum recurvi, vetustiorum incurvati, acutissimi, breves, obscurè purpurei.

SQUAMAE *inferiores* imbricatae, subpedales, angustissimae, lineari-subulatae, basi 1-2pollicari, subamplexicauli, striato-nervosâ, ultra basim aculeatae: *superiores* sensim breviores, remotiores, lanceolato-subulatae, adpressae.

FLORES in racemum subspicatum, terminalem, simplicem, alternantes, solitarii, breviter pedicellati, bracteis totidem stipati.

BRACTEAE ovatae, acutae, concavae, lanugine incanâ tectae.

CALYX obtusè trigonus, viridi-incanus.

PETALA linearia, dilute violacea, calyce triplò longiora.

ANTHERAE luteae, subtrilineares.

CAPSULA fusca, pollicaris, profunde trisulca.

SEMINA obscurè fulva, utrinque setâ longâ aucta.

RELIQUA, ut in Charactere generico.

HABITAT ad *Pozuzo* nemora supra saxa.

FLORET Augusto, Septembri et Octobri.

Explic. Icon. 1 Petalum cum nectarii squama. 2 Stamen.

3 Pistillum. 4 Capsula in basi calycis. 5 Capsula aperta cum calyce. 6 Valvula intus conspecta cum seminibus. 7 Semen.

PITCAIRNIA PULVERULENTA. Icon. CCLIX.

2. P. scapo paniculato composito, foliis ensiformibus subtus pulverulentis, inferioribus petiolatis, corollis puniceis.

Planta perennis, plurimis prolibus aggregatis.

Scapi orgyales, erecti, teretes, supernè pulverulenti, infernè tantum foliosi.

Folia longa, latitudine pollicaria, et ultra, imbricata, numerosa, ensiformia, marginibus minutim aculeatis; aculeis incurvis, atris; densè striata, supra glaberrima, subtus pulverulenta, incana; inferiora longe petiolata.

Petioli canaliculati, utrinque aculeis recurvis.

Panicula terminalis, maxima, composita ex plurimis partialibus, alternis, multifloris, spathâ lanceolato-subulatâ, semiamplexante, striatâ, concavâ singulis stipatis.

Flores alterni, pedicellati, bracteâ ovata, acuminatâ, concavâ, striatâ, persistente suffulti, secundi, sursum spectantes.

Pedicelli breves, graciles, incani.

Calyx tripartitus; *laciniis* lanceolato-ovatis, trilinearibus, adpressis, subcoriaceis; subinferus, persistens.

Petala punicea, oblongo-linearia, calyce triplò longiora, angusta, marcida inter se convoluta.

Nectarium: squama brevis, 2-3 crenata, ultra basim singuli petali.

Filamenta sex, longitudine ferè corollae, subulata, compressa. *Antherae* lineares, luteae.

Germen subsuperum, trigonum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* oblongum, trifidum; *laciniis* adpressis.

Capsula trigona, parva, calyce et petalis marcidis obvoluta, trilocularis, trivalvis.

Semina plurima, parva, fusci coloris.

Habitat in *Andium* nemoribus ad *Vitoc* vici vias et tractus.

Floret Novembri, et Decembri.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Calycis laciniae parum auctae. 4 Petala cum nectarii squamis. 5 Pistillum cum staminibus et basi calycis. 6 Idem absque staminibus. 7 Capsula cum petalis convolutis, marcidis. 8 Capsula transversim secta.

PITCAIRNIA PANICULATA. Icon. CCLX.

3. P. scapo paniculato, paniculâ decompositâ, foliis ensiformibus serrato-aculeatis pulverulentis, corollis coccineis.

Planta perennis, nonnullis prolibus, aggregatis, patentiusculis.

Radix fibrosa, longissima, filiformis, fasciculata.

Scapus erectus, teres, declinatus, pulverulentus, canescens, foliis paulò longior, simplicissimus.

Folia sibi invicem incumbentia, biulnaria, extus pulverulenta, incana, à medio ad apicem deflexo-patentia, ensiformia, angusta, marginibus serrato-aculeatis: *tenera* inermia.

Panicula terminalis, maxima, decomposita.

Pedunculi alterni; *inferiores* remotiores, bracteâ lanceolato-subulatâ, concavâ, striatâ, persistenti stipati: *partiales* sparsi, bracteis ovatis, acutis, concavis, membranaceis suffulti, breves, infernè attenuati.

Pedicelli uniflori, bracteis parvis, ovatis, acutis sustentati.

Calyx tripartitus: *laciniis* adpressis, corollâ triplò brevioribus; subinferus, pulverulentus, canescens.

Petala tria, punicea, lanceolata, erecta, supernè reflexo-patentia, infernè convoluta, marcescentia, persistentia.

Filamenta sex, filiformia, longitudine petalorum, erecta. *Antherae* sagittatae, angustae, luteae.

Germen pyramidatum, obtusè trigonum, subsuperum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* tria, divergentia.

Capsula pyramidata, calyce et petalis obvoluta, obtusè trigona, trisulca, trilocularis, trivalvis.

Semina numerosa, oblonga, utrinque acumine subulato, longiusculo aucta.

Habitat in *Andium* montibus ad *Chinchao* praerupta versus *Macora* praedium supra saxa inter runcationes.

Floret Julio, et Augusto.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Calycis lacinia. 3 Flos absque calyce. 4 Petalum. 5 Pistillum cum staminibus et calycis basi. 6 Idem absque staminibus. 7 Capsula cum calyce. 8 Eadem absque calyce. 9 Eadem aperta. 10 Valvula cum seminibus receptaculo insertis. 11 Semina.

PITCAIRNIA FERRUGINEA.

4. P. scapo paniculato, paniculâ diffusâ, foliis ensiformibus aculeatis, floribus recurvo-falcatis, corollâ subpurpureâ.

Planta perennis, prolibus plurimis aggregatis, patentibus.

Radix fasciculata, longissima, filiformis.

Scapus unicus è singula prole, assurgens, teres, biulnaris.

Folia sibi invicem incumbentia, dispersa, ensiformia, longa, angusta, marginibus aculeatis.

Panicula terminalis, maxima; composita paniculis partialibus diffusis, bracteis semiamplexicaulibus, ovato-lanceolatis, acutis, striatis, extus lanuginosis, ferrugineis stipatis.

Pedunculi subteretes, glabri.

Pedicelli remoti, teretes, lanuginosi, apice recurvi, uniflori, bracteis totidem ovatis, concavis, triplò brevioribus, striatis, semiamplexicaulibus, lanatis suffulti.

Flores nutantes, recurvo-falcati.

Calyx extus lanuginosus, ferrugineus, tripartitus, subinferus, persistens: *laciniis* lanceolato-subulatis, retusis, pollicaribus et ultra, curvato-falcatis.

Petala subpurpurea, basi nuda, id est absque squama, bi-tripollicaria, lineari-falcata, inter se convoluta, striato-venosa, receptaculo inserta, glabra, marcida spiraliter seorsim contorta.

Filamenta sex, subulata, compressa, corollâ paulò breviora, receptaculo inserta. *Antherae* lineari-sagittatae, biloculares, longae, subincumbentes; *defloratae* spirales.

Germen superum basi inferâ, ovatum, glabrum. *Stylus* staminum longitudine, filiformis, triqueter. *Stigmata* tria, oblongo-linearia, plana, margine altero undulato-crenato, inter se spiraliter contorta.

Capsula pyramidata, trigona, trisulca, angulis leviter sulcatis, trilocularis, trivalvis: *valvulis* ovatis, acutis, interius nervo tenui notatis; marginibus introflexis, dissepimenta formantibus.

Semina numerosa, marginibus valvularum utrinque inserta, oblongiuscula, basi apiceque in tenuem setam terminata; *receptacula* marginalia, membranacea.

Habitat in *Peruviae* collibus aridis prope *Limam* urbem ad *Amancaes* sive *Hamancaes* et *D. Christophori* montes, et circa *Lurigancho* vici vias.

Floret Majo, et Junio.

Vulgo: *Cardon de Lomas.*

Obs. Iconem et specimina exsiccata in navis D. Petri Alcantarensis naufragio amisimus.

AECHMEA. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. p. 47.* Icon. VIII.

AECHMEA paniculata. Icon. CCLXIV.

A. scapo paniculato racemoso, foliis ensiformibus carinatis aculeatis.

Planta perennis, prolifera, glaberrima. *Proles* plures, aggregatae.

Radix fasciculata, filiformis, longissima, fusci coloris.

Scapus è singula prole unicus, lateralis, erectus, ulnaris, teres, paniculâ magnâ, ex plurimis racemis longis, multifloris compositâ terminatus.

Folia numerosa, imbricata, ensiformia, carinata, margine aculeata, subtus albicantia; *exteriora* gradatim breviora.

Aculei incurvi, fulvescentes.

Panicula magna, terminalis, in plurimos racemos divisa.

Pedunculi *communes* pedales et ultra, racemosi, bracteâ lanceolatâ, sesquipollicari, acutâ, striatâ, dependenti stipati, multiflori: *partiales* sparsi, bi-triflori, ad basim mediumque rudimentis 2-3 Florum abortivorum mucronatis; bracteâ longâ, subulatâ, mucronatâ, deflexâ suffulti.

Flores *intimi* sessiles; *terminalis* pedicellatus.

Calyx *inferior*, aut potius *Squama* germen amplexans, monophylla, cyathiformis, leviter trifida aut tricrenata, subconvoluta, supernè ad basim fissa, striata, coriaceo-scariosa; crenaturâ intermediâ mucrone rigido, subulato, longo terminata, persistens. *Cal. superior* tripartitus, coriaceo-scariosus, persistens: *laciniis* margine in se invicem convolutis.

Corolla luteo-virescens, calyce quadruplò longior.

Antherae incumbentes, lutescentes.

Semina oblonga, compressiuscula, nigra, pulpâ molli nidulantia.

Reliqua, ut in Charactere generico.

Obs. Floris partes in marcescentia spiraliter convolutae observantur.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus supra arbores versus *Pozuzo* locis imis calidis.

Floret Septembri, et Octobri.

Explic. Icon. 1 Calyx superus et squama. 2 Squama calycina. 3 Calyx germen coronans. 4 Petalum cum squamis. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Capsula calyce coronata. 8 Eadem transversim secta. 9 Semina.

GUZMANIA.

Character Genericus Naturalis.

Cal. *Perianthium* coriaceum, tripartitum: *laciniis* ovatis, in se invicem convolutis; inferum, persistens.

Cor. *Petala* tria, linearia, obtusa, in tubum arcte convoluta, calyce duplò longiora, receptaculo inserta, ephemera, marcescentia, persistentia.

Stam. *Filamenta* sex, receptaculo inserta, linearia, plana, corollâ breviora, glabra, supernè in coronulam connexa. *Antherae* lineares, sulcatae, utrinque acutae, in cylindrum coalitae, dorso filamentis affixae, biloculares, longitudinaliter dehiscentes.

Pist. *Germen* pyramidale, obtusè trigonum. *Stylus* filiformis, triqueter, trisulcus, longitudine staminum. *Stigmata* tria, acuta, adpressa.

Per. *Capsula* pyramidalis, trigona, trisulca, trilocularis, trivalvis.

Sem. numerosa, oblonga, acuminata.

Character Differentialis.

Calyx inferus, tripartitus: laciniis in se invicem convolutis. *Petala* tria, calyce longiora, in tubum arcte convoluta. *Filamenta* sex, corollâ breviora, receptaculo inserta. *Antherae* in cylindrum coalitae. *Germen* pyramidale, trigonum. *Stylus* trisulcus. *Stigmata* tria. *Capsula* trilocularis, trivalvis. *Semina* numerosa.

Obs. 1. Floris partes ad fructus maturitatem marcidae persistunt.

Obs. 2. Differt à Pourretiae Genere, cui affinius, habitu et praesertim laciniis calycis convolutis, obtusis; petalis in se invicem convolutis, ephemeris, linearibus; filamentis supernè connexis; antheris in tubum coalitis;

stigmatibus adpressis. Seminum insertio Characterem genericum omnino perficiet, quae nobis matura omnino videre non licuit.

Obs. 3. Cum hujus plantae Characteris generici notas cum reliquarum Pourretiarum fructificationis notis post *System. veg.* evulgationem denuo contulerimus; diligenter animadvertimus, quasdam notas illi inesse, quae ab eo Genere illam secernere nos cogunt, et novum Genus condere, licèt Pourretiae affine, diversum tamen, quodque adeo Guzmaniam appellavimus.

Genus nuncupavimus *D. Anastasio Guzman*, Pharmacopeo industrio et sedulo plantarum, animalium, aliorumque corporum naturalium alacri per Americem peregrinationibus nostrâ memoriâ institutis, scrutatori.

GUZMANIA TRICOLOR. Icon. CCLXI.

G. scapo tricolore, foliis inermibus.

Pourretia scapo spicato tricolore, foliis ensiformibus inermibus. *Syst. veg. Flor. Peruv. et Chil. tom. 1. p. 82.*

Planta prolifera, perennis, proles 2-3, aut plures.

Radix fusiformis, fibrillosa.

Scapus pedalis, erectus, teres; squamis ovato-lanceolatis, acutis vestitus.

Folia sibi invicem incumbentia, patula, ensiformia, ad basim valde ampla, canaliculata, lineata, integerrima, glabra; *interiora* sensim minora.

Spica simplex, coarctata, pedalis, multiflora.

Flores sessiles, imbricati, totidem bracteis suffulti.

Bracteae adpressae, uniflorae, concavae, erectae: *inferiores* ovato-lanceolatae, angustiores, longiores, acutissimae, vix maculatae; *intermediae* latiores, ovatae, acuminatae, extus lineis longitudinalibus violaceis maculatae: *superiores* ovatae, breviores, parum acuminatae, miniatae.

Calyx pallidus.

Corolla alba, ephemera.

Antherae luteae.

Habitat in *Peruviae* montibus *Pillao* ad *Chacahuassi* supra truncos arborum.

Floret Octobri, et Novembri.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Petala in tubum convoluta. 4 Petala disjuncta. 5 Pistillum et stamina. 6 Stamina expansa. 7 Stamen. 8 Pistillum.

BONAPARTEA.

CHARACTER GENERICUS.

Cal. *Perianthium* inferum, persistens, hinc convexum, inde planum, diphyllum: *foliolis* oblongis, in se invicem convolutis; *exteriore* duplò latiore, semiprismatico, oblique bifido, laciniis ovatis, alterâ alteri incumbente; *interiore* integerrimo, concavo.

Cor. *Petala* tria, in se invicem convoluta, lineari-lanceolata, receptaculo affixa, marcida, persistentia.

Stam. *Filamenta* sex, subulata, plana, basi tenuissima, receptaculo inserta, corollae longitudine. *Antherae* versatiles, sagittatae, exsertae, bisulcae, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscentes.

Pist. *Germen* superum, pyramidale. *Stylus* filiformis, triqueter. *Stigmata* tria, oblonga, margine leviter fimbriata.

Per. *Capsula* ovato-pyramidata, trigona, trisulca, trilocularis, trivalvis: *valvulis* simplicibus, cymbaeformibus, medio septiferis.

Sem. numerosa, oblongo-linearia, basi angustata, setâ longâ terminata. *Receptacula* tria, linearia, sinubus columellae centralis, trialatae, longitudinaliter adnata.

Obs. 1. Hoc Genus à *Tillandsiae* Genere, cui prae ceteris affine, differt Calyce diphyllo: Petalis in se invicem convolutis: Filamentis receptaculo insertis, basi tenuissimis: Antheris versatilibus: Stylo triquetro: Stigmatibus leviter fimbriatis: Capsulae valvulis simplicibus, medio septiferis: Seminibus setâ terminatis: Receptaculis tribus linearibus, per sinus columellae centralis, trialatae, decurrentibus.

Obs. 2. In *B. strobilantha* Calyx monophyllus, triqueter, trifidus; reliquis autem notis genericis cum *B. junceae* fructificationis partibus exacte congruit.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Calyx inferus, diphyllus: foliolis convolutis. *Petala* tria, in se invicem convoluta. *Filamenta* receptaculo inserta. *Antherae* versatiles, exsertae. *Germen* pyramidale. *Stylus* triqueter. *Stigmata* tria, leviter fimbriata. *Capsula* trilocularis, trivalvis; valvulis medio septiferis. *Semina* numerosa, setâ terminata. *Receptacula* tria, linearia, per sinus columellae centralis, trialatae, decurrentia.

Habitus.

Plantae perennes ex Bromeliis, (*Tillandsiarum* ferè habitu). *Radices* turbinatae, fibrosissimae, fibris verticillatim digestis. *Culmi* articulati, solidi, simplicissimi. *Folia* imbricata, ensiformia aut subulata. *Spicae* aggregatae aut solitariae, terminales. *Flores* imbricati, sessiles, totidem bracteis amplexati.

Genus dicatum *Napoleoni Bonaparte*, Gallicae Reipublicae denuo constitutae Conditori, Primo Consuli, Parenti, Imperatori semper invicto, Botanices omniumque fructuosarum Scientiarum et Artium Patrono, Religionis Assertori, de utroque orbe tandem pacato optime merito, Viro immortali, et post hominum memoriam rebus gestis clarissimo.

BONAPARTEA JUNCEA. Icon. CCLXII.

1. B. foliis subulatis canaliculatis culmo longioribus, spicâ compositâ thyrsoideâ.

Planta perennis, furfure canescente obsita.

Radix brevis, turbinata, fusca, supernè verticillatim fibrosissima, fibris bipollicaribus, flexuosis, divisis.

Culmus solitarius, sesquipedalis et ultra, erectus, solidus, teres, simplicissimus, undiquè foliosus, foliorum basibus convolutis omnino tectus.

Folia imbricata, numerosa, culmo longiora, inaequalia, subulata, canaliculata, basi amplissimâ; *radicalia* patenti-reflexa; *intermedia* patula; *caulina* erecta.

Spica terminalis, composita spiculis 7-12, in thyrsi formam aggregatis.

Spiculae oblongo-lanceolatae, compressae, multiflorae; *inferiores* breviores.

Flores imbricati, distichi, sessiles, totidem bracteis amplexati.

Bracteae oblongae, acutae, cymbaeformes, coriaceo-scariosae.

Calyx coriaceo-scariosus, helvolus, diphyllus: *foliolo exteriori* foliolum interius, oppositum, duplò angustius, amplexante.

Petala violacea, à basi ad apicem convoluta.

Antherae luteae.

Capsula ovato-pyramidata, calyce obvoluta, fusci coloris.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus versus *Muña* vicum supra arbores et saxa locis imis calidioribus.

Floret Septembri, et Octobri.

Vires et Usus: Ex succo spissamentum conficiunt, quo vulneribus medentur.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Calycis foliolum exterius anticè conspectum. 4 Idem posticè visum. 5 Calycis foliolum interius. 6 Petala in se invicem convoluta. 7 Petalum. 8 Pistillum et Stamina. 9 Pistillum. 10 Capsula. 11 Eadem aperta, columellam et receptacula ab illa vi aliquâ evulsa cum nonnullis seminibus divergentibus ostendens. 12 Valvula intus visa. 13 Columella centralis trialata, transversim secta, ut Alulae columellae et Receptacula hujus sinubus adnata, Seminumque insertio conspiciantur. 14 Semina magnitudinis naturalis. 15 Semen parum auctum.

BONAPARTEA strobilantha. Icon. CCLXIII.

2. B. foliis ensiformibus culmo brevioribus, spicâ simplici strobiliformi.

Radix brevis, crassa, fusca, fibrosissima; fibris verticillatis, numerosis, filiformibus, flexuosis, fibrillis capillaribus undique obsita.

Culmus erectus, teres, articulatus, solidus, striatus, glaber, infernè foliosus, supernè squamosus, bi-tripedalis.

Folia imbricata, ensiformia, acuta, densè striata, supra glabra, subtus purpurascentia, squamis fulvescentibus, furfuris instar, punctata, marginibus inflexis, amplexicaulia, infernè convoluto-vaginantia.

Squamae culmum vestientes, oblongo-lanceolatae, convoluto-vaginantes, adpressae, striatae, squamulis furfuraceis exterius punctatae, purpurascentes.

Spica solitaria, terminalis, ovata, strobiliformis.

Flores plures, imbricati, sessiles, totidem bracteis distincti.

Bracteae ovatae, acuminè brevi, margine superiore purpureae, striatae; *nonnullae intermediae* retusae; *exteriores* acutae.

Calyx oblongus, triqueter, coriaceo-scariosus, trifidus; *laciniis* in se invicem convolutis, incisuris obliquis.

Petala tria, alba, laminis oblongo-obovatis, patentibus, unguibus linearibus, in tubi formam convolutis.

Filamenta sex, subulata. *Antherae* luteae.

Capsula trigona, paleacei coloris, calyce obvoluta.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus supra arbores in silvis *Chicoplaya*, imis locis.

Floret Januario, et Februario.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Petala in se invicem convoluta. 4 Petalum. 5 Pistillum et Stamina. 6 Pistillum. 7 Capsula. 8 Eadem aperta. 9 Columella centralis, trialata, parum aucta et transversim secta, ut Alulae columellae, Receptacula sinubus columellae adnata, et Seminum insertio conspiciantur. 10 Semen auctum.

TILLANDSIA.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* tripartitum: *laciniis* oblongo-lanceolatis in se invicem semiconvolutis; inferum, persistens.

Cor. *Petala* tria, spathulata, calyce longiora, supernè patenti-reflexa, receptaculo inserta.

Stam. *Filamenta* sex, filiformia, receptaculo inserta. *Antherae* incumbentes, ovato cordatae, biloculares.

Pist. *Germen* ovatum, trisulcum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigma* trifidum.

Per. *Capsula* oblongo-linearis, acuminata, trisulca, trilocularis, trivalvis: *valvulis* duplicatis, marginibus introflexis, dissepimenta conficientibus, cymbaeformibus, tandem expansis; *exterioribus* coriaceis; *interioribus* paulò latioribus, callosis, laevigatis, nitidissimis.

Sem. numerosissima, oblonga, fundo capsulae inserta, pilis paucis coadunatis longe stipitata, pappo pilosissimo obvallata.

TILLANDSIA tetrantha. Icon. CCLXV.

1. T. erecta, pedunculis reflexis quadrifloris.

Planta herbacea, perennis.

Radix fibrosa: *radiculae* numerosae, fibrillosae, fuscae.

Scapus solitarius, foliis paulò longior, spathis plurimis vestitus, teres, flexuosus.

Folia radicalia, infernè in se invicem convoluta in utriculum, à medio ad apicem divergentia, patentia, lanceolato-ensiformia, ampla, apicibus reflexis, punctis purpureis maculata.

Spathae alternae, subimbricatae, lanceolato-ovatae, acu-

tae, roseo-puniceae: *inferiores* erectae, concavae, apice revoluto: *florales* deflexae, subcymbaeformes.

Pedunculus unicus, ex singulae spathae axilla, declinatus, quadriflorus.

Flores subsessiles, gemino ordine.

Calyx luteus, coriaceus, tripartitus; *laciniis* oblongis, in se invicem convolutis; inferus, persistens.

Petala tria, violacea, infernè convoluta, supernè patula, oblongo-cuneiformia, acuta, marcescentia, ephemera.

Filamenta sex, receptaculo inserta, petalis breviora, planiuscula. *Antherae* incumbentes, luteae.

Stylus brevis, trisulcus. *Stigmata* tria.

Capsula trigona, trisulca, pyramidata, trilocularis.

Semina numerosa.

Habitat in *Andium* nemoribus, supra arbores et saxa ad *Muña* tractus.

Floret Julio, et Augusto.

Obs. Cum pluit, cavitas seu utriculus ab omnium foliorum convolutione formatus aquâ repletur, quam per plures dies retinet, quousque evaporatione exhalatur.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Petala. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Capsula. 6 Eadem aperta cum seminibus. 7 Semen cum pappo.

TILLANDSIA rubra. Icon. CCLXVI.

2. T. paniculâ simplici rubrâ, spicis indivisis, foliis ensiformibus subacuminatis.

Planta perennis, glabra. *Proles* plures aggregatae, consimiles.

Radix fibrosa: *fibris* filiformibus, longiusculis, pallescentibus.

Scapus erectus, solitarius, teres, bi-tripedalis; infernè squamis alternis, spathaeformibus, vaginato-convolutis, acuminatis, striatis, amplexicaulibus, sesquipollicaribus tectus; supernè paniculatus.

Folia radicalia, sibi invicem incumbentia; *exteriora* gradatim longiora, patenti-reflexa, ferè bipedalia; *interiora* erecta: *omnia* subtus albido-argentea, lucida, supra dilutè viridia, ensiformia, subacuminata, striata: *majora* subtus versus basim minutis punctis vix nudo oculo conspicuis maculata.

Panicula sesquipedalis, erecta, rubicunda, composita spicis plurimis; alternis, simplicibus, oblongo-lanceolatis, divergentibus, bracteis oblongis, acuminatis, rubris, cymbaeformibus, pollicaribus stipatis.

Spicae bipalmares, sessiles, complanatae, multiflorae.

Flores alternatim distichi, imbricati, sessiles, totidem bracteis amplexati.

Bracteae oblongae, carinatae, obscure rubrae, apice lutescentes.

Calyx rubro-lutescens, bracteae longitudine.

Petala tria, parva, purpureo-violacea, à medio ad apicem patenti-reflexa, ephemera, marcida, persistentia.

Capsula oblonga, pallescens: *valvulis* interioribus extus scabris, marginatis, intus atris, nitidis.

Semina numerosa, linearia, fulva, stipite papposo piloso.

Habitat in *Peruviae* praeruptis calidis ad *Tarmae* tractus.

Floret Martio, et Aprili.

Vernacule Huehle, quod sonat *Hueccle*.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Petalum. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Capsula in calyce. 6 Capsula. 7 Eadem aperta cum valvulis internis externisque, et semina ostendens. 8 Semen pappo obvolutum. 9 Idem pappo explicato. 10 Idem absque pappo, setis stipatum.

TILLANDSIA maculata. Icon. CCLXVII.

3. T. paniculâ compositâ rubicundâ, spicis subdivisis, foliis lanceolato-ensiformibus maculatis.

Planta perennis, glabra, saepè omnino rubicunda, aliquando prolibus nonnullis.

Radix fasciculata, filiformis, fibrillosa.

Scapus solitarius, ferè tripedalis, erectus, rubicundus, articulatus, simplicissimus, supernè paniculatus; *Squamis* ad genicula ovatis, acutis, striatis, amplexicaulibus; *inferis* convolutis, adproximatis; *superis* remotioribus, brevioribus.

Folia radicalia, sibi invicem incumbentia, lanceolato-ensiformia, obtusa cum acumine, revoluta, striata, utrinque nitida, canaliculata, maculis roseis rubro-purpurascentibusque: *exteriora* gradatim majora, patentiora.

Panicula sesquipedalis, rubicunda, composita spicis alternis, subdivisis, bracteis suffultis.

Spiculae patulae, pollicares, multiflorae, bracteis ovato-lanceolatis, acutis, semiamplexicaulibus, concavis, adpressis, striatis, stipatae.

Flores alternatim distichi, imbricati, sessiles, totidem bracteis, concavis, oblongis, acutiusculis distincti.

Bracteae et Calyces rubicundi.

Petala violacea, infernè convoluta, supernè patula, ephemera, parva, marcida, persistentia.

Capsula oblonga, pallescens: *valvulis internis* extus scabris.

Semina numerosa, linearia, fulva, stipite piloso papposo.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus, praesertim ad *Muña*, *Chaclla*, *Pozuzo*, *Chinchao* et *Cuchero* tractus supra arbores et saxa.

Floret Julio, Augusto et Septembri.

Vernacule Pucca-Huehle, id est *Huehle encarnado*.

Obs. Aqua pluvialis in foliorum urceolo colligitur et diu servatur. Indi hanc Speciem super parietes et templorum porticus transferunt, ubi facile radices agunt, vigent et ornamento per totum annum inserviunt.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Petalum. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Capsula in calyce. 6 Eadem aperta cum valvulis internis externisque, et semina ostendens. 7 Valvula duplex intus conspecta. 8 Semen cum pappo.

TILLANDSIA BIFLORA. Icon. CCLXVIII. *Fig. b.*

4. T. scapo racemoso, floribus geminis, foliis ensiformibus acutis.

Planta perennis, glabra, saepe prolifera.

Radix fasciculata, fibris filiformibus.

Scapus unicus, simplicissimus, sesquipedalis, erectus, teres, squamis alternis, lanceolatis, acutis, striatis, amplexicaulibus: supernè racemosus.

Folia ensiformia, acuta, sibi invicem incumbentia, subaequalia, erecto-patula, striata, *exteriora* parum recurva.

Racemus simplex, semipedalis.

Flores alterni, gemini, breviter pedicellati, spathis longis, lanceolatis, acutis, concavis, striatis, apice viridi-pallescentibus recurvis stipati.

Capsula oblonga, pollicaris, recta, ocracei coloris.

Semina numerosa, linearia, stipite papposo piloso.

Habitat in *Peruviae Andium*, ad *Muña* tractus.

Obs. Augusto, et Septembri Plantas fructibus tantum onustas invenimus.

Explic. Icon. 1 Capsula in calyce. 2 Capsula. 3 Eadem aperta cum valvulis internis externisque, et semina ostendens. 4 Valvula interior. 5 Semina cum pappo.

TILLANDSIA PARVIFLORA. Icon. CCLXIX.

5. T. paniculâ simplici 3-7spiculis, floribus parvis distichis, foliis subulatis basi amplissimâ.

Planta perennis, prolibus nonnullis.

Radix fasciculata, fibrosa, flexuosa, dilutè fusca.

Scapus erectus, solitarius, simplicissimus, teres, gracilis, pedalis, parum declinatus, purpureus, glaberrimus, squamis alternis, subulatis, canaliculatis, amplexicauli-vaginantibus, aliquantulum remotis, canescentibus.

Folia sibi invicem incumbentia, subimbricata, subulata, canaliculata, divergentia, recurva, 2-3palmaria, striata, canescentia, squamis furfuraceis densissimis.

Panicula terminalis, ex 3-7 spicis, alternis, distichis composita.

Spicae remotae, divergentes, patulae, multiflorae, bracteis ovato-lanceolatis, acutis, incanis, brevibus sustentatae, breviter pedunculatae, rachi complanatâ, incanâ, flexuosâ.

Flores alterni, distichi, sessiles, parvi, bracteis totidem ovatis, acumine minimo, concavis, calyce duplò brevioribus.

Calyx coriaceus, pallescens, subtriqueter, laciniis in se invicem semiconvolutis.

Petala tria, calyce duplò longiora, supernè patula, ephemera, albida.

Capsula linearis, calyce octuplò longior, acuminata, trilocularis, trivalvis: *valvulis internis* extus laevibus, pallescentibus, intus obscurè purpureis nitidis.

Semina lineari-oblonga, pappo piloso, rubicunda.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus supra saxa in *Muña* circuitu.

Floret Augusto, Septembri et Octobri.

Explic. Icon. 1 Bractea floris. 2 Flos integer. 3 Petala. 4 Stamina. 5 Pistillum. 6 Capsula. 7 Eadem aperta cum valvulis internis externisque, semina manifestans. 8 Semen pappo obvolutum. 9 Idem pappo expanso. 10 Semen setis stipatum.

TILLANDSIA HEPTANTHA.

6. T. spicâ septemflorâ distichâ, petalis albis apice violaceis, foliis ensiformi-subulatis acutissimis.

Planta perennis, prolibus nonnullis aggregatis.

Radix fibrosa.

Scapus subpedalis, erectus, simplicissimus, squamis oblongis, semiamplexicaulibus, acutis.

Folia sibi invicem incumbentia, subimbricata, ensiformi-subulata, acutissima, canaliculata, utrinque incana, subtomentosâ, integerrima.

Spica terminalis, simplicissima, subseptemflora.

Flores distichi, sessiles, bracteâ lanceolato-oblongâ, concavâ, purpureo-violaceâ.

Petala alba, apice violaceo.

Capsula oblonga, obsoletè trigona, basi acuta, pappo capillari, multiradiato, rufa.

Semina oblonga.

Habitat in *Peruviae* praeruptis calidis, ad *Tarmae* et *Huanuci* Provinciarum tractus supra saxa et arbores.

Floret Junio, Julio et Augusto.

TILLANDSIA PURPUREA. Icon. CCLXX. *Fig. a.*

7. T. paniculâ polystachyâ rosaceâ, floribus distichis, petalorum laminis purpureis, foliis ensiformi-subulatis recurvis.

Planta perennis, prolibus numerosis, aggregatis, procumbentibus, radicantibus.

Radix ramoso-fibrosa, fusca.

Scapus solitarius, pedalis, erectus, teres, simplicissimus, glaber, squamis alternis, subulatis, longis, canaliculatis; infernè latis, amplexicauli-vaginantibus, convolutis, à nodo ad nodum incanis.

Folia sibi invicem incumbentia, subvaginantia, ensiformi-subulata, canaliculata, divergentia, reflexa, bi-tripalmaria, canescentia, squamulis furfuris instar densissimis.

Panicula terminalis, rosei coloris, spicis 5-9, alternis composita, bracteis ovatis, acutis, concavis, striatis, incanis.

Spicae oblongo-lanceolatae, pedunculatae, multiflorae.

Flores distichi, imbricati, sessiles, bracteis oblongis, concavis, roseis stipati.

Calyx oblongus, roseus; laciniis convolutis, striatis.

Petala infernè convoluta, supernè patentia, unguibus

albidis, laminis obscurè purpureis.

CAPSULA oblongo-cylindrica, acuminata, pallescens: *valvulis interioribus* extus levibus, intus purpureo-atris, nitidis.

SEMINA numerosa, fulvescentia, stipite papposo-piloso.

HABITAT in *Peruviae* saxosis et arenosis locis, copiosè in *Limae*, *Huarocheri* et *Cantae* collibus et tractibus.

FLORET Junio, et Julio.

VULGO in *Lima* nuncupant *Cardo de Lomas.*

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Petala. 4 Stamina. 5 Calyx in fructu. 6 Capsula. 7 Eadem aperta valvulas internas externasque, et semina manifestans. 8 Valvula cum seminibus basi convoluta. 9 Eadem basi expansa. 10 Semen cum pappo explicato. 11 Idem pappo obvolutum. 12 Idem setulis stipatum.

TILLANDSIA SESSILIFLORA. ICON. CCLXXI. *Fig. b.*

8. T. scapo spicato simplici, floribus solitariis sessilibus, foliis sublingulatis retusis.

PLANTA biennis, glabra.

RADIX fibrosissima, capillaris, luteo-fusca.

SCAPUS pedalis, erectus, gracilis, teres, foliis duplò longior, articulatus, squamis vaginaeformibus, convolutis, remotis, oblongis, obtusis, striatis.

FOLIA radicalia, sibi invicem incumbentia, planiuscula, sublingulata, retusa, striata, ut plurimum tripalmaria, latitudine pollicis, *exteriora* gradatim breviora.

SPICA terminalis, simplex, bipalmaris, erecta.

FLORES alterni, solitarii, sessiles, bracteis totidem ovatis, acutis, concavis suffulti.

CALYCIS *laciniae* ovales, obtusae, striatae.

CAPSULA ovata, acuta, trivalvis: *valvulis* exterioribus paleaceis, interioribus internè violaceo-atris.

SEMINA fulvescentia, lineari-oblonga, stipite papposo; villis helvolis.

HABITAT in *Peruviae* locis calidis ad *Huanuci* Provinciae tractus.

Obs. Novembri, et Decembri hanc Speciem fructu onustam offendimus.

Explic. Icon. 1 Semen pappo obvolutum. 2 Idem pappo expanso. 3 Idem setulis stipatum.

TILLANDSIA CAPILLARIS. ICON. CCLXXI. *Fig. c.*

9. T. pedunculo subunifloro capillari foliis triplò longiori glabro, foliis lineari-subulatis, caule dichotomo.

PLANTA caespitosa, prolibus numerosis, aggregatis, incana, squamis minimis, furfuraceis, densissimis tecta.

RADIX brevis, fibrosa, capillaris, albido-fusca.

CAULES dichotomi, foliis vestiti, 1-2palmares.

FOLIA imbricata, disticha, confertissima, lineari-subulata, erecto-patula, tandem reflexa, canaliculata, basi striata, semiamplexicaulia.

PEDUNCULI axillares, erecti, foliis triplò longiores, leviter striati, capillares, glaberrimi, uniflori, rarius biflori, versus basim unifolii, supernè nudi.

BRACTEA solitaria, oblonga, nervosa, glabra, convoluta.

CALYX tripartitus: *laciniis* convolutis, coriaceo-scariosis, atro-violaceis.

PETALA calyce vix longiora, albida.

ANTHERAE lutescentes.

CAPSULA linearis, calyce duplò longior, trivalvis: *valvulis exterioribus* pallescentibus; *interioribus* callosis, nitidis, atro-violaceis.

SEMINA oblongo-linearia, stipite piloso, albo.

HABITAT in *Peruviae* locis calidis, copiosè in muris et supra arbores et saxa.

FLORET Novembri, et Decembri.

VERNACULE Huachuacsso et *Huayhuaço.*

Obs. Differt à Tillandsia recurvata, cui affinior, prolibus numerosis magis leprosis; caulibus dichotomis, foliis confertissimis, latioribus, brevioribus, erecto-patulis, basi angustis; scapis capillaribus, foliis triplò longioribus, nitidis glaberrimis, bracteâ solitariâ, unifloră, nudâ, obtusâ, convolutâ; capsulâ virescente.

Explic. Icon. 1 Semen pappo incarceratum. 2 Idem pappo explicato. 3 Idem setulis stipatum.

TILLANDSIA RECURVATA. ICON. CCLXXI. *Fig. a.*

10. T. pedunculo bifloro, foliis paulò longiori leproso, foliis subulatis declinatis erectisque.

TILLANDSIA (*recurvata*) foliis subulatis scabris reclinatis, culmis unifloris gluma biflora LINN. *Sp. plant. tom. 2. p. 9.*

Viscum Caryophylloides minus foliis pruinae instar candicantibus flore tripetalo purpureo, semine filamentoso. SLOAN. *Jamaic. hist. 1. p. 190. tab. 121. f. 1.*

PLANTA caespitosa, numerosis prolibus aggregatis, palmaribus, erectis, bifidis simplicibusque, furfure canescente undique tectis.

FOLIA alternatim disticha, imbricata, basi latiora, subulata, supra canaliculata: *inferiora* recurvata; *intermedia* patentia, subhorizontalia; *superiora* erecta, longiora.

PEDUNCULI solitarii, filiformes, foliis paulò longiores, erecti, obsoletè striati, versus basim unifolii, biflori.

BRACTEAE tres, flores amplexantes, lanceolatae, acutae, erectae, adpressae; *exteriori* majori, acutiori.

CALYX in flore purpurascens.

PETALA subviolacea.

ANTHERAE incarnatae.

CAPSULA linearis, cylindrica, calyce ferè triplò longior: *valvulis* duplicatis; *exterioribus* albido palleaceis; *interioribus* purpureo-fulvescentibus.

SEMINA fulva, stipite papposo piloso.

HABITAT in *Peruviae* locis calidioribus, copiosè in *Huanuci* et *Tarmae* Provinciis supra arbores, saxa et parietes.

Floret Decembri, et Januario.
Vernacule Huayhuaço et *Salvage macho.*
Usus: Incolae adversus haemorrhoidas plantam contusam et axungiâ suillâ leviter coctam adhibent.
Obs. Addere placuit hujus plantae Iconem ex Sloaneâ certe exactiorem quae aliunde fructificationis partibus caret.
Explic. Icon. 1 Semen pappo incarceratum. 2 Idem pappo expanso. 3 Idem setulis stipatum.

TILLANDSIA virescens. Icon. CCLXX. *Fig. b.b.*

11. T. pedunculo unifloro foliorum longitudine, bracteâ solitariâ convolutâ, foliis lineari-subulatis, capsulâ virescente.
Planta caespitosa, pumila, leprosa, canescens; proli-bus numerosis, pollicaribus.
Radix fibrosa, brevissima.
Folia imbricata, disticha, lineari-subulata, infernè cauli adpressa, supernè divergentia, reflexa, basi striata.
Pedunculus axillaris, solitarius, longitudine foliorum, uniflorus.
Bractea solitaria, patula, uniflora, oblonga, convoluta, striata.
Calyx paleaceus, brevis.
Petala vix calycem superantia, apice patula.
Capsula calyce duplò longior, virescens, trivalvis: *valvulis* interioribus purpureo-atris.
Semina minima, fulvescentia, papposa.
Habitat in *Peruviae* praeruptis calidis, frequenter in *Huanuci* Provincia.
Floret Decembri, et Januario.
Vernacule Huachuacsso et *Huayhuaço.*
Explic. Icon. 1 Semen pappo obvolutum. 2 Idem pappo expanso. 3 Idem setulis stipatum.

TILLANDSIA usneoides.

12. T. pedunculo unifloro brevi, caule ramoso filiformi flexuoso pendulo, foliis subulato-filiformibus.
Tillandsia (*usneoides*) filiformis ramosa intorta scabra. Linn. *sp. pl. tom. 2. p. 9.*
Viscum Caryophylloides, tenuissimum, è ramis arborum musci in modum dependens, foliis pruinae instar candicantibus, flore tripetalo, semine filamentoso. Sloan. *Jamaic. 77. Hist. 1. p. 191. fig. 2. 3.*
Planta perennis, canescens, squamis furfuris instar densissimis scariosis undique tecta; numerosis prolibus aggregatis, ramosis, longissimis, dependentibus.
Radix tenuis, capillaris.
Caulis teres, flexuosus, laxus, 2-4pedalis, filiformis; articulationibus attenuatus, compressus.
Rami consimiles.
Folia alterna, remota in caule, in ramulis approximata, cylindrico-subulata, ferè capillaria, flexuosa, vaginantia.
Pedunculi oppositifolii, solitarii, è vaginis foliorum, uniflori, ad apicem diphylli; *folio altiori* brevissimo.
Calyx coriaceus, foliolis in se invicem convolutis.
Petala tria, purpurea.
Capsula oblongo-linearis, leviter trigona, 3valvis; *valvulis* duplicatis; *exterioribus* albicantibus; *interioribus* purpureo-fulvis.
Semina oblongo-linearia, dilutè fulva, papposa.
Habitat in *Peruviae* praeruptis calidis, passim in *Tarmae*, *Huanuci*, et *Panatahuarum* Provinciis supra arbores, frutices, cactos, et saxa, praesertim supra Achras, Lucuma, Pyrum Malum et Laurum Persea.
Floret Octobri, Novembri et Decembri.
Vernacule in Tarma *Salvage*, et *Çahopra*; in Huanuco *Huachuacsso*, *Huayhuaço*, *Salvage*, *Salvagina* et *Barbasco*: in aliis *Americae* Provinciis *Barbas* dicitur.
Usus: Incolae ad haemorrhoidas sanandas plantam contusam, et axungiae suillae incoctam frequenter adhibent, et plantis bene exsiccatis pulvinaria, culcitras et stragulas replent. Planta certe ad vitrea vasa, ova, fructus edules et varia utensilia accommodanda et transportanda perutilis. Hâc plantâ fructus nomine vernaculo nuncupatos *Paltas*; *Chirimoyas*, *Anonas*, *Guanabanas*, *Lucumas*; *Ciruelas de Frayle*, *Platanos*, *Caimitos*, *Mameyes* et *Piñas*, sive *Ananas* involvunt, ut omnino maturescant et molles fiant.

TRADESCANTIA parviflora. Icon. CCLXXII. *Fig. b.*

1. T. repens, foliis ovato-oblongis, floriferis subcordatis, pedunculis 2-3nis, floribus umbellatis involucratis hexandris.
Planta herbacea, perennis, ut plurimum bipedalis.
Radix fibrosa, dilutè fusca, fibrillis tenuissimis undique obvallata, ad caulium articulationes verticillatim digestis.
Caules plures, diffusi, teretes, repentes, leviter striati, glabri, ramosi, geniculati, purpureo-violacei, hinc inde virescentes, parum assurgentes, cavi.
Rami consimiles: *teneri* incurvati.
Folia alterna, vaginantia, subtus purpureo-violacea, villosiuscula, supra glabra, utrinque nitida, margine ciliata, undulato-repanda, obscurè 7-9-11nervia, leviter striata, ut plurimum sesquipollicaria: *inferiora* ovato-oblonga, acuta: *floralia* subcordata.
Vaginae membranaceae, bilineares, striato-nervosae, tubulosae, hirsutae.
Pedunculi axillares terminalesque, bini ternique, semipollicares, villosi, 4-7flori, teretes, hirsuti, columellae brevi insidentes, umbellam bifidam, aut trifidam constituentes, vaginis totidem membranaceis, ciliatis cincti.
Pedicelli breves, basi attenuati, inaequales, umbellati, bracteolis totidem minimis, subrotundo-ovatis, mem-

branaceis, sibi invicem incumbentibus, ciliatis involucrati.

Calyx inferus, persistens, triphyllus : *foliolis* ovalibus, concavis, parum inaequalibus, villosis, purpureo-violaceis, in flore patulis, in fructu conniventibus.

Petala tria, ovata, calyce vix breviora, aequalia, alba, patentissima.

Filamenta sex, capillaria, erectiuscula, apice curvata, quorum tria longitudine petalorum, villosa, supernè incrassata; tria reliqua alternantia, duplò breviora, glabra. *Antherae* omnes luteae, oblongae, utrinque emarginatae, incumbentes, biloculares.

Germen subrotundo-ovale. *Stylus* brevis. *Stigma* leviter trilobum.

Capsula subrotundo-ovalis, acumine minimo, calyce et corollâ marcidâ obvoluta, obscurè trigona, trisulca, trilocularis, apice trivalvis : *valvulis* medio septiferis.

Semina pauca, parva, dilutè fusca, compressa, subdeltaeformia, utrinque radiatim striata, hinc umbilicata, inde dorso prominulo, quo dissepimentis adhaerentia.

Habitat in *Peruviae* locis imis, petrosis, calidis et humidiusculis, passim ad *Pozuzo* et *Huanuci* tractus.

Floret Augusto, Septembri et Octobri.

Obs. Ob iconis figuram *Tradescantiae multiflorae Jacquin Coll. vol. 3. p. 226. ic. 308.* haec nostra planta cum ea omnino congruere videtur, sed in descriptione ab illa notis sequentibus discrepat : *Folia* subtus villosa, purpureo-violacea : *Vaginae* undique hirsutae: *Pedunculi* 2-3nique, columellae aut basi brevi insidentes, umbellam 2-3fidam constituentes, vaginis totidem membranaceis ciliatis cincti : *Pedicelli* inaequales, umbellati, bracteolis, sive vaginulis totidem, sibi invicem incumbentibus involucrati : *Calyx* aliquantulum inaequalis : *Petala* calyce paulò breviora, marcescentia : *Stamina* omnia fertilia ; *tria* tribus hirsutis dimidio breviora : *Antherae* omnes luteae : *Semina* hinc umbillicata, inde dorsalia. Cl. Jacq. in icone nec radiculas articulationum verticillatas, neque folia undulato-repanda expressit, et stamina tria glabra, nimis multò breviora, quam tria villosa et antheris violaceis ornata ; praeterea in descriptione refert caules quadripedales esse, folia lanceolato-ovata, pedunculos ebracteatos, et petala calyce longiora. Planta tamen nostra eadem cum Jacq. Specie esse videtur, et fortasse diversa à *Tradescantia multiflora Svvartz nov. plant. gen. et spec. p. 57.* nam Svvartz plantam suam erectam foliis cordatis, pedunculis congestis, et floribus triandris describit.

Explic. Icon. 1 Umbella. 2 Calyx. 3 Petala. 4 Stamina. 5 Pistillum. 6 Capsula aperta. 7 Semina magnitudinis naturalis. 8 Semina aucta.

TRADESCANTIA latifolia. Icon. CCLXXII. *Fig. a.*

2. T. caule erecto simplici, foliis lanceolato-ovatis ovatisque, floribus terminalibus subumbellatis 5-7nis involucratis.

Planta herbacea, annua, sesquipedalis.

Radix fibrosa, tenuis.

Caulis erectus, simplex, aliquando ramusculo uno alterove axillari, brevi, teres, geniculatus, ruber, praesertim ad articulationes, leviter striatus, à geniculo ad geniculum linea villosa decurrente.

Folia alterna, remota, vaginantia, subpetiolata, lanceolato-ovata ovataque, acuta acuminataque, 9-15nervia, utrinque glabra, margine breviter ciliata : vaginae membranaceae, ciliatae, breves, amplae, truncatae.

Flores terminales, 5-7, subumbellati, foliolis totidem brevissimis, ovatis involucrati.

Pedunculus teres, hirsutus; villis glandulosis.

Pedicelli inaequales, villosi; villis glandulosis.

Calyx hirsutus, viscosus, virescens.

Petala violacea.

Antherae luteae.

Stylus incurvus.

Capsula oblonga, pallescens.

Semina tria in singulo loculo, intermedium cubicum, reliqua trigona.

Habitat in *Peruviae* collibus ad *Chancay* Provinciam, versus *Torreblanca*, *Jequan* et *Pasamayo*, *Lachay* et *Huara* tractus : copiosè etiam provenit in montibus *Limae* et *Lurin*.

Floret Julio, Augusto et Septembri.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Petala. 3 Stamina. 4 Pistillum. 5 Capsula valvulis patentibus. 6 Semina.

LORANTHUS. Linn. *Gen. pl. p. 233.*

character genericus reformatus.

Cal. *Perianthium Fructûs* inferum, polymorphum : vel potius *Bractea* floris polymorpha.

Perianthium Floris superum, tubulosum : sive *Margo* brevis, concavus.

Cor. *Petala* sex, lineari-spathulata, aequalia, à medio ad apicem divergentia, revoluta; infernè agglutinata.

Stam. *Filamenta* sex, subulata, ultra medium petalorum inserta, eisque paulò breviora. *Antherae* oblongo-lineares, incumbentes, resupinatae, biloculares, utrinque dehiscentes.

Pist. *Germen* ovale, inferum. *Stylus* filiformis, longitudine staminum, aliquantisper persistens. *Stigma* simplex, obtusum, minimum.

Per. *Bacca* ovalis, monosperma, umbilicata, calyce coronata.

Sem. ovale, pulpâ viscosâ obvolutum.

Obs. 1. Perianthium Fructûs, quod *Bractea floris* potius dici meretur, in Lorantho grandifloro, glauco, lanceolato, elliptico, punctato, heterophyllo, sarmentoso, acuminato, verticillato et retroflexo est *Squama*

ovata, integerrima: in Lor. tetrandro *Squama* tripartita: in Lor. dichotomo et cuneifolio *Squama* cyathiformis: in Lor. acutifolio et polystachyo *Margo* semicircularis tumidus: in Lor. ovalifolio tandem Perianth. fructûs abest.

Obs. 2. Perianthium Floris omnium Loranthi specierum est *Tubulus* brevis aut *Margo* magis minusve exsertus, concavus, integerrimus, aut crenatus, vel dentatus.

Obs. 3. Corolla in Lor. dichotomo 6fida; in Lor. cuneifolio 6partita; in Lorantho grandifloro, glauco, et verticillato 5fida, pentandra; in Lor. tetrandro 4fida, saepe 5fida, sed semper tetrandra; in Lor. lanceolato corolla hexapetala, aliquando 7-8petala, totidem staminibus praedita: in reliquis speciebus corollas hexapetalas, hexandras offendimus; quamquam saepe numerus in nonnullis floribus observatur 5narius et 7narius. Corolla in aliis speciebus longissima, in aliis brevissima: in plerisque Petala basi contigua, distincta et segregata decidunt, in quibusdam usque ad medium ita agglutinata sunt, ut corollae verè monopetalae dici possint, praesertim quia cùm sponte cadunt, ab unico latere usque ad basim finduntur; has omnes anomalias in descriptionibus adnotare curavimus.

Obs. 4. Bacca in plerisque speciebus ovalis; in nonnullis subrotunda est. Baccae omnium nostrarum Loranthi specierum calyce sunt coronatae: Ant. Laur. Juss. *in Gen. pl. p. 212.* Lor. Baccam non esse coronatam exposuit.

Obs. 5. In differentiis specificis pro calyce infero bracteam descripsimus.

Habitus.

Frutices parasitici praeter *Loranthum punctatum*, ramosi. *Folia* opposita, alternave aut verticillata, crassa, avenia, aut parum venosa, integerrima. *Pedunculi* terminales axillaresque, racemosi, aut corymbosi, vel spicati, sive uni-2-3flori. *Flores* plerumque terni, dependentes, nutantes aut erecti.

LORANTHUS grandiflorus. Icon. CCLXXIII. *Fig. a.*

1. L. floribus corymboso-racemosis pentandris, bracteâ ovatâ concavâ, foliis ovalibus.

Frutex parasiticus, 2-6pedalis, glaberrimus, pulcher.

Radix ramosa, fibrillosa.

Caulis dependens, teres, dilutè viridis.

Rami consimiles.

Folia opposita, breviter petiolata, ovalia oblongo-ovataque, integerrima, crassa, parum venosa, supra nitidiuscula, plana.

Flores terminales, subcorymbosi, tandem racemosi, dependentes.

Pedicelli oppositi, breves, uniflori.

Calyx *Fructûs; Squama* ovata, concava, integerrima, germine duplò longior: *Floris* cyathiformis, brevis, quinquedentatus.

Corolla bipalmaris, semiquinquefida, quinquesulcata, longitudinaliter usque ad basim ab unico latere in decidentia scissa.

Filamenta quinque, filiformia. *Antherae* lineari-oblongae, luteo-virescentes.

Stylus puniceus, corollâ vix longior.

Bacca ovalis, caerulea, olivae fructûs magnitudine.

Semen ovale, album.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus, versus *Pozuzo*, *Muña* et *Pillao* vicos supra arbores.

Floret à Julio ad Septembrem.

Vernacule Hatun-Mocma et *Hatun-Mucma.*

Explic. Icon. 1 Corolla scissa cum staminibus.

LORANTHUS dichotomus. Icon. CCLXXIV. *Fig. a.*

2. L. pedunculis geminis dichotomis, floribus hexandris, bracteâ semicyathiformi, foliis 3-4nis oblongis.

Frutex parasiticus, glaberrimus.

Radix ramoso-fibrosa.

Caulis erecto-patulus, ramosus, teres, geniculatus, granulosus.

Rami consimiles, saepius terni, rarius quaterni.

Folia verticillata, terna, rarius quaterna, praesertim terminalia, breviter petiolata, oblonga oblongo-ovataque, integerrima, crassa, ut plurimum longitudine bipalmaria, latitudine sesquipalmaria, parum venosa.

Pedunculi gemini, ad singula interstitia foliorum in verticillum, dependentes, dichotomi, bifurcati, aliquando trifurcati, quadri-sexflori, breves, articulati, compressiusculi.

Calyx *Fructûs* cyathiformis, concavo-planus, extus parum protensus: *Floris* tubulosus, brevis, marginalis, denticulis sex, vix manifestis.

Corolla subsesquipalmaris, pendula, infernè punicea, supernè lutea, sexfida: *laciniis* divergentibus, revolutis.

Filamenta sex. *Antherae* incumbentes, luteae.

Stylus filiformis, post corollae delapsum per aliquos dies persistens. *Stigma* turbinatum, parvum, derasum.

Bacca ovalis, viridi-lutescens, calyce diminuto coronata.

Semen ovale, lutescens.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus supra arbores in *Muña* circuitu.

Floret Augusto, et Septembri.

Vernacule Mocma et *Mucma.*

Explic. Icon. 1 Calyx inferus. 2 Bacca.

LORANTHUS glaucus. Icon. CCLXXV. *Fig. b.*

3. L. floribus racemoso-corymbosis pentandris, bracteâ lanceolatâ, foliis ovato-lanceolatis.

Frutex parasiticus, 2-3pedalis, glaucus.

Radix ramosa, fibrosa.

Caulis ramosus, teres, granulosus.

Rami consimiles, oppositi, plerumque secundi.

Folia opposita, saepius secunda, breviter petiolata, ovato-lanceolata, saepe lanceolata, obtusa acumine minimo, integerrima, glabra, avenia, crassiuscula, aliquando retroflexa.

Pedunculi terminales, in flore subcorymbosi, in fructu remotiores, in racemum simplicem subdigesti.

Flores secundi, breviter pedicellati.

Calyx *Fructûs*, aut potius bractea, lanceolatus, integerrimus, germine triplò longior: *Floris* marginalis, obsoletè quinquecrenatus.

Corolla sesquipollicaris, profunde quinquefida, apice basique rubra, medio lutea: *laciniis* spathulato-lanceolatis, reflexis.

Filamenta quinque, subulata, è medio laciniarum orta. *Antherae* lineares, incumbentes, biloculares, reflexae, laciniarum ferè longitudine.

Stylus ruber, corollae longitudine, diu persistens. *Stigma* obtusum, derasum.

Bacca atro-purpurea, ovato-ovalis, umbilicata, calyce diminuto coronata.

Semen ovato-ovale.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus calidis et imis ad *Huassahuassi*, *Pillao*, *Muña* et *Chinchao* tractus supra arbores et frutices.

Floret Octobri, et Novembri.

Explic. Icon. 1 Pistillum cum bractea, aut calyce infero et supero. 2 Semen.

LORANTHUS tetrandrus. Icon. CCLXXV. *Fig. a.*

4. L. floribus aggregato-umbellatis tetrandris, bracteâ tripartitâ ciliatâ, foliis ovatis.

Periclymenum foliis acutis, floribus profunde dissectis, vulgo *Ytiu.* Few. *Observ. tom. 2. planch. 45. p. 760.*

Frutex parasiticus, ulnaris.

Radix ramosa, fibrillosa.

Caulis ramosus, teres.

Rami patentes, oppositi subopposítique, saepe altero abortivo, teretes: *teneri* pubescentes, ferruginei.

Folia opposita subopposítaque, breviter petiolata, ovata, acuta, nonnulla obtusa, rotundata, integerrima, parum venosa, utrinque glabra.

Petioli pubescentes.

Pedunculi ex axillis superioribus, petiolis vix longiores, 7-12flori, teretes, erecti, pubescentes.

Flores aggregato-umbellati, breviter pedicellati, erecti, teretes, pubescentes.

Calyx *Fructûs* lateralis, tripartitus, brevis; *laciniis* ovatis, ciliatis: *intermedia* majori: *Floris* parvus, quadricrenatus.

Corolla profunde quadrifida, rarius quinquefida, croceopunicea.

Filamenta quatuor, nunquam quinque, quamquam corolla sit quinquefida, subulata, lutea. *Antherae* flavae.

Baccae ovales.

Obs. Corolla rarissime trifida, et tunc Calyx inferus, quadripartitus.

Habitat in *Regni Chilensis* silvis, circa *Conceptionis* urbem, supra arbores et frutices.

Floret Martio, et Aprili.

Vernacule Ictriho, *Itiu*, *Michtrio* et *Quinchtral* quibus nominibus incolae omnes Loranthi Species indiscriminatim designant.

Usus: P. Fewill. post descriptionem ejusdem Speciei addidit sequentem Observationem, quam latine ita vertimus: „Hunc fruticem adhibent ad tingendum pulchro „nigro colore. Tinctura haec ligno hujus plantae in „frustula conscisso obtinetur una cum alio vegetabili „*Pangue* appellato, et quadam terra nigra *Robbo* ab „incolis dicta, quae omnia simul coquunt in aqua com„muni quantum satis."

Explic. Icon. 1 Pistillum cum calyce infero et supero. 2 Semen.

LORANTHUS cuneifolius. Icon. CCLXXVI. *Fig. b.*

5. L. floribus axillaribus 1-3nis, bracteâ cyathiformi trigonâ tridentatâ, foliis cuneiformibus acuminatis.

Frutex parasiticus, subglaucus, glaberrimus.

Radix ramosa, fibrosa.

Caulis erectus, teres, valde ramosus, virescens.

Rami consimiles, sparsi, diffusi, virides.

Folia sparsa, subsessilia, cuneiformia parvo acumine, integerrima, carnosa, utrinque nitida, avenia, obsoletè trinervia, vix pollicaria, nonnulla emarginato-retusa.

Pedunculi axillares, solitarii, saepe bini, rarius terni, uniflori, foliis triplò breviores, in flore recurvi, in fructu erecti.

Flores cernui.

Calyx *Fructûs* cyathiformis, trigonus, tridentatus, persistens: *Floris* tubulosus, denticulis sex, vix manifestis.

Corolla punicea, sesquipollicaris, profundè sexfida: *laciniis* lineari-spathulatis, incurvatis.

Filamenta sex, medio petalorum inserta, longitudine laciniarum. *Antherae* lineari-oblongae, luteae, sulco rubro.

Stigma capitatum, parvum.

Bacca subrotunda, calyce tubulato coronata, nigra.

Semen globosum, pulpâ viscosâ involutum.

Habitat in *Peruviae* vallibus supra arbores et frutices, copiosè in *Huanuci* urbis circuitu et in *Cheuchin* tractibus.

Floret in *Huanuco* ferè per totum annum; in *Cheuchin* Martio, et Aprili.

Vulgo: *Liga* nuncupatur.

Usus: Pueri è seminibus masticatis viscum ad passeres venandos optimum eliciunt.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Pistillum cum calyce infero et supero. 3 Calyx inferus. 4 Calyx superus germen coronans. 5 Corolla scissa cum staminibus. 6 Stamina. 7 Bacca cum calyce infero et supero. 8 Semen.

LORANTHUS verticillatus.

6. L. floribus aggregato-capitatis subverticillatis pentandris, bracteis ovatis, foliis ternis lanceolatis.

Frutex parasiticus, ulnaris.

Radix ramosa, fibrillosa, luteo-fusca.

Caulis teres, erectus, ramosus.

Rami verticillati, terni, teretes, erecti.

Folia subverticillata, terna, lanceolata, integerrima, enervia, glauca, erecta, plerumque ad latus unicum spectantia.

Flores terminales, secundi, in capitulum aggregati, subverticillati.

Calyx *Fructûs*; *Squama* ovata, concava, integerrima: *Floris* marginalis.

Corolla punicea, semiquinquefida: *laciniis* spathulato-lanceolatis, revolutis.

Filamenta quinque, lutescentia. *Antherae* rubrae, oblongae.

Stylus lutescens. *Stigma* simplex, minimum.

Bacca ovalis, purpureo-nigra.

Semen ovale.

Habitat in *Regni Chilensis* silvis supra arbores et frutices, passim ad *Andalien* fluvii ripas.

Floret Martio, et Aprili.

Vernacule Ictriho et *Itiu*.

LORANTHUS lanceolatus. Icon. CCLXXVIII. *Fig. b.*

7. L. floribus racemosis hexandris, pedicellis trifloris, bracteâ ovatâ reflexâ, foliis lanceolato-oblongis.

Frutex parasiticus, tripedalis et ultra, glaber.

Radix ramosa, fibrillosa.

Caulis erectus, teres, ramosus.

Rami erecti, teretes: *teneri* obscurè angulati.

Folia opposita, petiolata, lanceolato-oblonga, plana, integerrima, bipollicaria, latitudine pollicaria, supernè parum venosa; venis obsoletis, subhorizontalibus.

Petioli 2-3lineares, supra canaliculati.

Pedunculi axillares, solitarii, racemosi, foliis breviores, angulosi.

Pedicelli oppositi, interdum alterni, breves, triflori.

Calyx *Fructûs*; *Squama* ovata, reflexa, subtus concava, supra convexa, integerrima, persistens: *Floris* marginalis, obsoletè crenatus.

Corolla lutea, semipollicaris, hexapetala, rarius 7-8-petala. *Petala* lineari-spathulata, usque ad medium erecta, deinde reflexa.

Filamenta lutea, subulata, è medio petalorum, erecto-patula. *Antherae* luteae, ovales, incumbentes.

Stylus subulatus, post Corollae delapsum per aliquos dies persistens. *Stigma* parvum, obtusum.

Bacca oblonga, coronata, monosperma.

Obs. Baccam nondum adultam offendimus.

Habitat in *Peruviae Andium* montibus ad *Pillao* tractus.

Floret Augusto, et Septembri.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx cum germine. 3 Pistillum cum calyce supero.

LORANTHUS ellipticus. Icon. CCLXXVI. *Fig. a.*

8. L. floribus corymboso-umbellatis heptandris, pedicellis trifloris, bracteâ ovatâ reflexâ, foliis ellipticis.

Frutex parasiticus, 4-6pedalis, erectus, glaber.

Radix ramosa, fibrillosa.

Caulis erectus, teres, valde ramosus.

Rami teretes, nudi: *teneri* conferti, virgulati, angulosi, foliosi, floriferi, rubescentes.

Folia opposita, conferta, petiolata, erecto-patula, elliptica, subacuminata, plana, avenia, crasso-coriacea, supra nitida, pollicaria, latitudine semipollicari.

Petioli bilineares, sulcati.

Pedunculi terminales et ex axillis superioribus, breves, angulati, divisi, corymboso-umbellati.

Pedicelli breves, angulosi, triflori.

Flores erecti, sessiles, terni, totidem bracteis retroflexis involucrati: bracteâ intermediâ majori.

Calyx *Fructûs* ovatus, retroflexus, integerrimus, acutus: *Floris* marginalis, obsoletè septemcrenulatus.

Corolla heptapetala, quadrilinearis, lutea: *Petala* lineari-spathulata, infernè erecta, supernè divergentia, reflexa.

Filamenta septem, è medio petalorum, lutea. *Antherae* luteae.

Stylus subulatus: *Stigma* minimum.

Baccam non vidimus.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus altis frigidis ad *Pozuzo* viam circa *Tambo nuevo* tractum.

Floret Julio, et Augusto.

Explic. Icon. 1 Pedunculus cum bracteis tribus et cum flore intermedio integro, duobusque pistillis florum lateralium cum calyce supero. 2 Calyx superus cum germine. 3 Petalum cum stamine. 4 Pistillum cum calyce supero.

LORANTHUS punctatus. Icon. CCLXXVII. *Fig. a.*

9. L. racemis longissimis, pedicellis subverticillatis trifloris, floribus hexandris, bracteâ obovatâ, foliis obovatis.

Arbor non parasitica, quadriorgyalis.

Truncus erectus, teres, mediocriter crassus: comâ frondosâ, ferè globosâ, perpulchrâ.

Rami oppositi suboppositique, saepe verticillato-terni, aliquando granulis adspersi: *teneri* angulati, purpurascentes, foliosi; *adultiores* teretes, nudi.

Folia opposita, interdum sparsa, erecta, petiolata, obovata, leviter obtuso-acuminata, coriacea, avenia, integerrima, punctis atris minimis maculata, bipollicaria, latitudine pollicari, marginibus compressis, retroflexis.

Petioli sesquilineares, canaliculati.

Racemi terminales et ex axillis superioribus, erecti, angulati; *axillares* solitarii, foliis paulò longiores: *terminales* terni, tripalmares et ultra, intermedio longiori.

Pedicelli verticillato-terni, triflori, angulati, breves, plures sparsi.

Flores secundi, terni, intermediis sessilibus; lateralibus breviter pedicellatis.

Calyx *Fructûs* aut *Bractea* unica sub singulo flore, ovata, integerrima, reflexa; *Bracteae* florum lateralium concavae, bracteâ intermediâ triplò breviores: *Floris* marginalis, integerrimus, planiusculus.

Corolla hexapetala, lutea: *Petala* lineari-spathulata, infernè erecta, supernè patenti-reflexa.

Filamenta sex, medio petalorum inserta, lutea. *Antherae* oblongae, incumbentes, luteae.

Germen lutescens. *Stylus* luteus, subulatus. *Stigma* minimum.

Bacca subrotunda, calyce coronata, pisi magnitudine, luteo-virescens, monosperma.

Semen globosum.

Habitat in *Peruviae Andium* montibus nemorosis frigidiusculis, ad *Pillao, Chaclla, Muña* et *Huassahuassi.*

Floret Julio, Augusto et Septembri.

Vernacule Enlaora, at in Huassahuassi *Coilon* appellatur.

Explic. Icon. 1 Flos integer cum bractea. 2 Calyx superus cum germine et bractea, et Petalum sejunctum cum stamine. 3 Pistillum cum bractea et calyce supero. 4 Bacca cum bractea calyce supero coronata. 5 Semen.

LORANTHUS heterophyllus. Icon. CCLXXIII. *Fig. b.*

10. L. floribus racemosis hexandris, pedicellis trifloris, bracteâ ovatâ adpressâ scabrâ, foliis polymorphis.

Frutex parasiticus, 2-4pedalis.

Radix ramosa, fibrillosa, parva.

Caulis ramosissimus, teres.

Rami sparsi, conferti ternique, teretes, minutim granulosi: *teneri* angulati, scabri, ferruginei.

Folia conferta, sparsa, breviter petiolata, polymorpha, subrotunda, ovalia, oblonga ovataque acumine minimo, subavenia, crassiuscula, nonnulla basi leviter excavata, glabra.

Petioli vix lineares, canaliculati.

Pedunculi axillares terminalesque, solitarii, pollicares et ultra, erecti, angulosi, racemosi.

Pedicelli sparsi, breves, patuli, triflori.

Flores terni, intermedio sessili lateralibus pedicellatis.

Calyx *Fructûs* parvus, ovatus, concavus, margine scabro-ciliatus, germini adpressus, persistens: *Floris* marginalis, scabriusculus, minimus.

Corolla hexapetala, albido-purpurascens, semipollicaris: *Petala* usque ad medium erecta, supernè divergentia, reflexa, lineari-spathulata.

Filamenta sex, è medio petalorum. *Antherae* luteae.

Stylus filiformi-subulatus. *Stigma* minimum, obtusum.

Bacca subrotunda, coronata, monosperma, viridi-glauca.

Semen ovale.

Habitat passim in *Regni Chilensis* silvis ad *Itatae, Puchacay, Rere* et *Conceptionis* Provincias, supra arbores et frutices, praesertim supra Myrti species.

Floret Januario, et Februario.

Explic. Icon. 1 Flos integer cum bractea. 2 Petalum cum stamine. 3 Pistillum cum calyce supero. 4 Bacca calyce coronata. 5 Bractea floris, sive calyx inferus cilia ostendens.

LORANTHUS acutifolius. Icon. CCLXXIV. *Fig. b.*

11. L. floribus racemosis hexandris, pedicellis uni-trifloris, bracteâ minimâ orbiculata, foliis lanceolatis acutissimis.

Frutex parasiticus, 3-5pedalis, glaber.

Radix ramosa, fibrillosa.

Caulis valde ramosus, teres.

Rami divergentes, teretes.

Folia opposita, petiolata, lanceolata, acutissima, integerrima, obsoletè venosa, venis simplicibus, bi-tripollicaria, latitudine subpollicari.

Petioli 2-3lineares, canaliculati, subcontorti.

Racemi axillares, foliis duplò breviores, multiflori, in flore divergentes, in fructu patentiores.

Pedicelli uni-triflori, angulati, breves, bracteâ communi parvâ, ovato-lanceolatâ, acutâ stipati.

Flores pedicellati.

Calyx *Fructûs*; *Margo* tumidus, minimus, semicircularis: *Floris* cyathiformis, obsoletè sexdentatus, parvus.

Corolla semipollicaris, alba, hexapetala: *Petala* lineari-spathulata, usque ad medium erecta, supernè divergentia, inflexa.

Filamenta sex, medio petalorum inserta, erecta. *Antherae* incumbentes, luteae, ovales.

Stylus paulò ante baccae maturitatem decidens.

Bacca ovalis, coronata, pisi magnitudine, nigrescens, monosperma.

Semen ovale.

Habitat in *Peruviae* praeruptis calidis locis, passim ad *Huanuci* sepes.

Floret Januario, et Februario.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx cum germine et

squama. 3 Pistillum cum calyce supero et infero. 4 Bacca cum calycibus. 5 Petalum cum stamine.

LORANTHUS sarmentosus. Icon. CCLXXVIII. *Fig. a.*

12. L. racemis brevibus, floribus ternis sessilibus hexandris, bracteis ovatis, foliis oblongo-lanceolatis carinatis.
Frutex parasiticus, glaber.
Radix fibroso-ramosa, ferruginei coloris.
Caulis ramosissimus, subscandens, hinc inde radicans, subteres.
Rami dependentes, longi, subsarmentosi, angulati, ferruginei, granulosi.
Folia opposita, petiolata, oblongo-lanceolata, acuta, integerrima, carinata, parum carnosa, subtus venosa, sesquipollicaria, latitudine subpollicari: aliquando nonnulla subopposita.
Petioli bilineares, supra canaliculati.
Racemi axillares, solitarii, ferruginei, angulosi; in fructu elongati.
Pedicelli brachiati, breves, angulati, triflori.
Flores sessiles, totidem bracteis ovatis, acutis, concavis suffulti.
Calyx *Fructûs* marginalis, brevissimus, membranaceus, obsoletè sexcrenatus.
Petala sex, lineari-spathulata, reflexa, lutescentia, vix bilinearia.
Filamenta sex, subulata, medio petalorum inserta. *Antherae* luteae, subcordatae, incumbentes.
Germen oblongum, truncatum. *Stylus* longitudine staminum. *Stigma* obtusum.
Bacca monosperma, oblonga, viscosa, grisea, parvi pisi magnitudine.
Semen oblongum, albicans.
Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus supra arbores et frutices passim ad *Muña* circuitum.
Floret Augusto, Septembri et Octobri.
Vulgo: *Liga* nuncupant.
Explic. Icon. 1 Flos integer cum bractea. 2 Calyx cum germine et bractea. 3 Pistillum cum calyce supero. 4 Bacca calyce coronata.

LORANTHUS acuminatus.

13. L. racemis axillaribus, floribus hexandris parvis, bracteis minimis concavis, foliis ovatis longe acuminatis.
Frutex parasiticus, glaber, 2-3ulnaris.
Caulis teres, parum granulosus, ramosus.
Rami longissimi, angulosi, purpurascentes, subsarmentosi.
Folia opposita, saepe alterna, plana, remota, ovata, longe acuminata, integerrima, subavenia, bipollicaria, latitudine ut plurimum subpollicari: nonnulla ovata, valde acuta.
Petioli bilineares, canaliculati.
Racemi axillares, solitarii, foliis dimidio breviores, erecti, angulati.
Pedicelli brachiati, triflori.
Flores parvi, sessiles, bracteis totidem, ovatis, acutis, concavis, germine brevioribus suffulti.
Calyx marginalis, minimus, membranaceus, obsoletè sexcrenatus.
Petala sex, lutescentia, linearia, à medio ad apicem reflexa.
Filamenta sex, brevia, è medio petalorum. *Antherae* ovatae.
Stigma capitato-peltatum.
Bacca fusco-lutescens, grani piperis magnitudine, ovalis.
Semen ovale.
Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Pillao*, *Chinchao* et *Panao* tractus supra frutices et arbores.
Floret Julio, et Augusto.
Obs. Differt à L. sarmentoso, cui affinior, ramis non radicantibus, foliis subaveniis planis, longe acuminatis, stigmate capitato-peltato, et baccae magnitudine et colore.

LORANTHUS retroflexus. Icon. CCLXXIX. *Fig. a.*

14. L. racemis compositis, floribus hexandris retroflexis subternis minimis, bracteis foliisque ovatis.
Frutex parasiticus, glaber, biulnaris.
Radix fasciculata, filiformis, tortuosa, ferruginea, striata, scabriuscula.
Caulis erectus, teres, ramosus, saepe punctatus, cinereus.
Rami divergentes, longi, tereti-angulosi, subcinerei: *teneri* angulati.
Folia opposita, aliquando petiolata, retroflexa, ovata, acuta, integerrima, venosa, subcoriacea, ut plurimum sesquipalmaria, latitudine bipollicari, plana, viridi-lutescentia: nonnulla oblongo-ovalia, acuminata.
Petioli 2-3lineares, canaliculati.
Racemi axillares terminalesque, solitarii, 2-3nique, compositi, 1-2palmares, patentiusculi, angulosi.
Pedunculi *partiales* horizontaliter patentes, retroflexi, angulati, bracteis ovatis, concavis, parvis, deciduis sustentati.
Pedicelli brevissimi, oppositi sparsique, 2-4flori, retroflexi.
Flores minimi, vix lineares, sessiles; totidem bracteis ovatis, concavis, parvis, integerrimis, persistentibus suffulti.
Calyx marginalis, integer, persistens.
Petala sex, usque ad medium erecta, deinde divergentia, retroflexa, minima, purpurea, linearia.
Stamina sex, petalorum longitudine, eorum medio inserta.
Bacca ovalis, calyce coronata, luteo-glauca, pisi magnitudine, viscosa.
Semen ovale, lutescens.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus supra arbores et frutices ad *Chinchao* et *Macora* tractus.

Floret Majo, Junio et Julio.

Explic. Icon. 1 Flos integer cum bractea. 2 Idem auctus. 3 Pistillum auctum. 4 Bacca calyce coronata. 5 Semen.

LORANTHUS ovalifolius. Icon. CCLXXVII. *Fig. b.*

15. L. spicis solitariis geminisque brevibus, floribus confertis hexandris minimis, foliis ovalibus subaveniis carnosis.

Planta parasitica, herbacea, glabra, valde carnosa.

Radix fasciculata, ramosa, fibrillosa, fusco-cinerea.

Caulis erectus, simplicissimus, pedalis, teres.

Folia alterna, breviter petiolata, ovalia, integerrima, subavenia, valde crassa, leviter emarginata, pollicaria.

Petioli bilineares, canaliculati.

Spicae axillares, solitariae geminaeque, petiolis duplò longiores.

Flores confertissimi, sessiles, minimi, rachi crassae veluti infixi, ebracteati.

Calyx marginalis, oculis nudis vix conspicuus.

Petala sex, minima, purpurea, retroflexa, linearia.

Stamina sex, in medio petalorum inserta.

Bacca ovalis, calyce minuto coronata, obscurè purpurea, grani piperis nigri magnitudine.

Semen ovale, albidiusculum.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus supra arbores et frutices ad *Pillao* et *Chacahuassi* tractus.

Floret à Junio ad Octobrem.

Obs. Inter omnes Species affinior est Lorantho spicato *Jacq.* à quo differt praesertim foliis alternis, subaveniis, spicis cylindricis.

Explic. Icon. 1 Flos integer valde auctus. 2 Pistillum calyce supero. 3 Bacca calyce coronata.

LORANTHUS polystachyus.

16. L. spicis ternis laxis, floribus sessilibus hexandris minimis, bracteis obsoletis, foliis ovato-lanceolatis amplis.

Frutex parasiticus, glaber, biulnaris.

Caulis erectus, teres, articulationibus compressiusculis, ramosus.

Rami consimiles, longi.

Folia opposita, petiolata, ovato-lanceolata, acuta, venosa, integerrima, ut plurimum bipalmaria, latitudine bipollicari, crassa.

Petioli 2-3lineares, contorti, canaliculati.

Spicae axillares, ternae, inaequales, laxae, leviter flexuosae, foliis dimidio breviores, divergentes.

Flores terni, sessiles, in oppositionibus remotiusculis.

Bracteae vix conspicuae, semianulares.

Calyx minimus, marginalis, subinteger.

Petala sex, minima, purpurea.

Stamina sex.

Bacca ovalis, parvi pisi magnitudine, luteo-fusca.

Semen ovale.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus supra arbores et frutices ad *Muña*, *Pillao*, *Panao*, *Pati*, *Chinchao* aliosque tractus.

Floret Junio, et Julio.

RICHARDIA. Linn. *Gen. pl. p.* 230.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* profunde sexfidum; *laciniis* acutis, patentibus: *superum* corollâ brevius, persistens.

Cor. infundibuliformis: *Tubus* erectus: *Limbus* sexfidus; *laciniis* acutis, erectiusculis.

Stam. *Filamenta* sex, capillaria, infra incisuras corollae inserta. *Antherae* erectae, ovatae, acutae, laciniarum corollae longitudine, villosae.

Pist. *Germen* obovatum. *Stylus* filiformis, semitrifidus. *Stigmata* tria, capitata, divergentia, pilosa.

Per. *Fructus* tripartibilis.

Sem. tria, obovata, truncata, extus convexo-gibba, intus plano-concava, dorso longitudinali, basi bidentata.

Obs. Variat calyce et corollâ quinquefidâ, staminibus quinque.

RICHARDIA pilosa. Icon. CCLXXIX. *Fig. b.*

1. R. foliis oblongo-lanceolatis, floralibus geminis quaternisque, floribus capitato-umbellatis.

Planta pedalis, densè pilosa, herbacea, annua.

Radix longa, simplex, tenuis, flexuosa, fusca.

Caulis procumbens, obtusè tetragonus, quadrisulcatus, ramosus.

Rami *inferiores* brachiati; *superiores* subdichotomi, inaequales.

Folia petiolata, oblongo-lanceolata, nonnulla ovato-lanceolata, integerrima, lineata, utrinque asperiuscula, margine scabra: *floralia* sessilia, gemina, saepe quaterna, quorum exteriora duo majora subdeltoidea.

Petioli connato-vaginantes, tri-quadrilineares.

Vaginae ciliis setaceis coronatae.

Pedunculi axillares et ex dichotomiis, tetragoni, foliorum longitudine.

Flores terminales, sessiles, plures, capitato-umbellati; *capitula* foliis floralibus involucrata.

Calyx profundè sexfidus, aliquando quinquefidus, viridis; *laciniis* acutis, patulis, in fructu patentissimis.

Corolla alba: *Limbus* sexfidus, aliquando quinquefidus.

Semina hispidula, extus fusca, intus cinerea.

Habitat in ruderatis et segetibus *Cercado*, *Huanuci* et *Chancay* Provinciarum; copiose in *Limae* circuitu.

Floret toto anno.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx cum germine. 3 Corolla cum staminibus. 4 Eadem longitudinaliter scis-

sa. 5 Pistillum cum calyce. 6 Idem auctum absque calyce. 7 Fructus calyce coronatus. 8 Semina intus conspecta. 9 Semen extus visum.

BERBERIS. Linn. *Gen. pl. p.* 232.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* hexaphyllum, patulum : *foliolis* obovatis, concavis, coloratis, subaequalibus; inferum, deciduum.

Cor. *Petala* sex, obovata, concava, patula, calyce duplò majora.

Nectarium : *Prominentiae* duae, glandulaeformes, coloratae, ultra basim singuli petali adnatae.

Stam. *Filamenta* sex, receptaculo inserta, prominentiis adhaerentia, postea elastice soluta, erecta, linearia, compressa, obtusa, petalis opposita. *Antherae* duae, oblongae, filamentorum apici utrinque adnatae, unilaculares, longitudinaliter effundentes.

Pist. *Germen* oblongum, longitudine staminum. *Stylus* vix ullus. *Stigma* orbiculato-peltatum, umbilicatum.

Per. *Bacca* ovato-oblonga, stigmate terminata, unilocularis.

Sem. 2-4, oblongo-obovata, obtusa, fundo baccae insidentia in totidem tuberculis.

Obs. Bacca stigmate umbilicato, non pervio, ut in Berberi vulgari Gaernert eam descripsit, terminata.

Habitus.

Frutices aculeati aut inermes. *Folia* alternatim fasciculata, rarius solitaria, plerumque mucronata aut dentato-spinosa. *Squamae* ad fasciculorum basim plures, imbricatae. *Aculeus* in pluribus speciebus unicus sub singulo fasciculo, trifidus, aut tripartitus : *laciniis* divergentibus, rigidis. *Pedunculi* è medio fasciculorum racemosi aut uniflori. *Pedicelli* bracteâ stipati.

BERBERIS lutea. Icon. CCLXXX.

1. B. pedunculis pluribus aggregatis unifloris, foliis obovatis mucronatis subtricuspidatisque.

Frutex subtriorgyalis, glaberrimus.

Caulis solitarius, erectus, subintortus, teres, inermis, brachii et ultra crassitudine : *cortice* cinereo-lutescente, rimoso : *ligno* solido, luteo, amaro.

Rami conferti, divaricati, subdependentes, consimiles: *teneri* angulati, dilutè purpurei, aliquando glauci coloris : *tenerrimi* aut *Gemmae* explicatae, squamis imbricatis, ovatis, concavis, membranaceis rubescentibus basi cinctae.

Spinae ad basim gemmarum nullae.

Folia fasciculata, 5-12 è singulis punctis, patentia, inaequalia, plerumque obovata, saepe oblonga, breviter petiolata, supra nitidissima, coriacea, mucronata, nonnulla tricuspidata, aliquando 2-4-5mucronata, venosa.

Petioli breves, basi trinervi, latâ, membraceâ, persistenti, ciliatâ insidentes.

Pedunculi 5-12 è centro foliorum, aggregati, uniflori, purpurei, foliorum vix longitudine, inaequales, compressiusculi, utrinque sulcati.

Flores cernui, hexapetali, hexandri : *plures pentapetalos pentandros offendimus.*

Calycis foliola obovata, concava : *extima* incarnato-lutea; *interiora* lutea.

Petala lutea, calyce duplò majora.

Nectarium : *Prominentiae* duae, oblongae, luteae, interius ultra basim singuli petali adnatae.

Bacca purpureo-nigra, subglauca, ovata.

Semina oblongo-obovata, atra, plerumque duo, rarius tria, rarissime quatuor ad maturitatem perveniunt; sed in germine rudimenta seminum sex reperiuntur.

Habitat in *Peruviae Andium* praeruptis et silvaticis collibus, locis frigidiusculis; passim ad *Panao*, *Pillao*, *Chaclla* et *Muña* tractus.

Floret Novembri, Decembri et Januario.

Vernacule Ccarhuascassa, id est *Lignum luteum foliis spinosis.*

Usus : Incolae lintea, pannos et gosypium luteo et perpulchro colore hoc ligno frequenter tingunt. Lignum valde durum ad manubria, aliaque utensilia perutile.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx. 3 Calycis foliolum. 4 Petalum. 5 Stamen. 6 Pistillum. 7 Bacca. 8 Semina.

BERBERIS virgata. Icon. CCLXXXI. *Fig. b.*

2. B. floribus subternis pentandris, foliis parvis obovato-cuneiformibus mucronatis, aculeis tricuspidatis parvis.

Frutex biorgyalis, glaberrimus.

Caules plures, erecti, teretes, fusco-cinerei, ramosissimi, ligno albido.

Rami sparsi, numerosi, virgati, longissimi, subangulati, graciles, lenti, purpureo-castanei coloris.

Aculeus unicus sub singulo puncto gemmaceo, tricuspidatus, brevis, basi lineari, planâ, coriaceâ.

Folia fasciculata, 4-14 è singulis punctis, squamis plurimis, imbricatis, ovatis, concavis, rubescentibus cincta, inaequalia, parva, ut plurimum trilinearia, latitudine sesquilineari, subsessilia, obovato-cuneiformia, integerrima, plana, coriacea, utrinque valde venosa, mucronata; rarius 3-5-7 dentibus spinosis.

Pedunculi plerumque tres, aliquando 2-4 è singulis foliorum fasciculis, breves, uniflori, graciles, infernè attenuati.

Flores cernui, lutei.

Calyx pentaphyllus : *foliolis* subrotundo-obovatis, concavis, subaequalibus, luteis.

Petala quinque, obovata, concava, calyce duplò longio-

ra, prope basim prominentiis duabus longis.
STAMINA quinque. *Antherae* luteae.
BACCA ovali-oblonga, parva, stigmate coronata, disperma.
SEMINA obovata, fusca.
HABITAT in *Peruviae Andium* silvis ad *Huassahuassi, Pillao* et *Huariaca* vicos, aliisque locis praeruptis.
FLORET Decembri, Januario et Februario.
Explic. Icon. 1 Calycis foliolum. 2 Petalum. 3 Stamen. 4 Pistillum. 5 Bacca.

BERBERIS FLEXUOSA. ICON. CCLXXXI. *Fig. a.*

3. B. racemis aggregatis inaequalibus paucifloris, foliis obovatis inermibus, aculeis ternis coalitis longis.
FRUTEX orgyalis, glaber.
CAULIS erectus, ramosissimus, teres, cinereo-fuscus.
RAMI flexuosi, striati, articulationibus incrassati, purpurascentes: *seniores* cinerei.
ACULEI tres sub singulo foliorum fasciculo, basi corticosâ, amplâ coaliti, subpollicares, rigidi, subulati, horizontales, intermedio longiori.
FOLIA fasciculata, breviter petiolata, obovata acumine minimo, integerrima, glauca, ut plurimum octo, inaequalia, venosa; ad basim fasciculorum squamis plurimis imbricatis, ovatis, concavis, membranaceis, fulvescentibus.
RACEMI 2-6 ex singulo fasciculo, inaequales, 3-14flori, laxi, graciles, foliis longioribus breviores.
PEDICELLI sparsi, tenues, subtrilineares, uniflori, bracteâ minimâ, subulatâ stipati.
FLORES dilutè lutei.
CALYCIS foliola obovata, concava, inaequalia.
PETALA obovata, concava.
BACCA oblonga, stigmate pedicellato terminata, nigra.
SEMINA quatuor, saepè quinque, obovata.
HABITAT in *Peruviae Andium* praeruptis calidis et aridulis ad *Tarma*, *Cheuchin* et *Pillao* tractus.
FLORET à Decembri ad Junium.
VERNACULE in *Cheuchin Huaccampe.*
Explic. Icon. 1 Calycis foliolum. 2 Petalum. 3 Stamen. 4 Pistillum. 5 Bacca.

BERBERIS TOMENTOSA. ICON. CCLXXXII. *Fig. b.*

4. B. pedunculis ternis unifloris inaequalibus, foliis ovalibus dentato-spinosis mucronatisque.
FRUTEX biorgyalis.
CAULIS erectus, teres, valde ramosus.
RAMI virgati, angulati, rubescentes, glabri, nitidi.
ACULEI nulli.
FOLIA alterna, plerumque fasciculata, terna, inaequalia, ovalia, supra nitida, subtus tomentosa, albido-helvola, petiolata, integerrima: *majora* tricuspidata dentato-spinosaque, ut plurimum pollicaria, et parum longiora, latitudine subpollicari.
PETIOLI bilineares, subtus trinerves, infernè sensim latiores.
GEMMAE squamis plurimis, imbricatis, ovatis, mucronatis.
PEDUNCULI terni è singulis gemmis, inaequales, nutantes, uniflori, teretes, supernè crassiores, tertio longiori, pollicari et ultra.
FLORES hexandri, lutei, pisi magnitudine ante floris explicationem.
CALYCIS foliola ovata, concava, petalis dimidio breviora.
PETALA ovali-obovata, concava.
BACCA ovalis, stigmate pedicellato rostrata, bi-trisperma.
HABITAT ad *Conceptionis* urbis et *Coliumo* portûs tractus.
FLORET Majo, Junio et Julio.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calycis foliolum. 3 Petalum. 4 Stamen. 5 Pistillum.

BERBERIS LATIFOLIA. ICON. CCLXXXII. *Fig. a.*

5. B. pedunculis 3-6nis, floribus hexandris, foliis oblongo-obovatis mucrone minimo, aculeis parvis tricuspidatis.
FRUTEX triulnaris, glaberrimus, aculeatus.
TRUNCUS erectus, teres, ramosissimus, cinereo-fuscus.
RAMI leviter flexuosi, cinerei coloris.
ACULEI sub singulis fasciculis foliorum solitarii, bilineares, basi trinerves, tribus cuspidibus spinosis, apice atris.
FOLIA fasciculata, 3-6, inaequalia, oblongo-obovata, integerrima, mucrone minimo terminata, coriacea, venoso-reticulata, supra nitidissima, sesquipollicaria, latitudine subpollicari, petiolata.
PETIOLI bi-trilineares, supra plani, subtus convexi.
PEDUNCULI 3-6 ex singulis foliorum fasciculis, inaequales, uniflori, foliis breviores.
BACCA ovalis, stigmate pedicellato rostrata, 3-4sperma, atra.
SEMINA obovata.
HABITAT in *Peruviae Andium* nemoribus altis frigidis versus *Pillao* vicum.
FLORET Martio, et Aprili.
Obs. Plantam fructibus tantum onustam offendimus Augusto et Septembri.
VULGO: *Palo amarillo* incolae nuncupant.

BERBERIS MONOSPERMA.

6. B. racemis multifloris nutantibus, floribus hexandris, foliis ovalibus obovatisque mucronatis, aculeis trifidis.
FRUTEX orgyalis, aculeatus, glaberrimus.
CAULIS erectus, ramosus, teres.
RAMI *teneri* striati, purpurei.
ACULEI basi dilatata, tricuspidati, cuspidibus spinosis; *teneris* erectis; *senioribus* curvatis.
FOLIA fasciculata, 5-6, inaequalia, cartilaginosa: *inferiora* dentato-spinosa; *superiora seniora* tridentata, dentibus tribus spinosis; *juniora* mucronata, integerrima.
STIPULAE oppositae, subulatae.

Racemi è centro foliorum, multiflori, nutantes.
Flores alterni, pedicellati, bracteolâ lanceolatâ stipati.
Calyx et Corolla lutea.
Bacca nigra, monosperma.
Semen orbiculatum.
Habitat in *Tarmae* praeruptis.
Floret Augusto, et Septembri.

NARCISSUS amancaes. Icon. CCLXXXIII. *Fig. a.*

1. N. spathâ 3-6florâ, nectario magno campanulato repando sexlobato crenulato, staminibus cernuis, foliis ensiformibus.

Bulbus ovatus, tunicatus, fibris filiformibus, albis.
Scapus anceps, bipedalis.
Folia ensiformia, glabra, scapum usque ad medium involventia, deinde divergentia.
Spatha 3-6flora.
Flores luteo-sulphurei, fragrantissimi, magni.
Petala linearia, nectarii ferè longitudine.
Nectarium campanulatum, repando sexlobatum, plicatum, crenatum, lineis sex viridibus, longitudinalibus, quibus stamina insident.
Stamina brevia, nutantia.
Stylus corollâ longior, inflexus.
Habitat copiosè in collibus *Limae*, *Amancaes* et *Hamancaes* dictis, itemque in *Chancay*, *Lurin* et *Surco* clivis.
Floret ab Aprili ad Augustum.
Vernacule Amancaes, et *Hamancaes.*
Vires et Usus: Incolae bulbos contusos ad suppurationem promovendam adhibent. Feminae caput et crines floribus una cum Begoniae tuberosae, nominatae vulgo *Flor de S. Juan*, intermistis, ornant.

PANCRATIUM. Linn. *Gen. pl. p.* 216.

PANCRATIUM maritimum.

1. P. spathâ multiflorâ, petalis lanceolatis, foliis lingulatis spiraliter contortis.

P. maritimum, spatha multiflora, petalis planis, foliis lingulatis. Linn. *Sp. plant. t. 2. p. 22.* Miller. *Fig. plant. p. 132. pl. 197.*
P. maritimum. Orteg. *Flor. Hisp. Delect. 1. p. 1. ic. 1.* Cavan. *Icon. plant. vol. 1. p. 41. tab. 56.*
Colitur in *Limae*, *Chancay* et *Huanuci* Provinciarum hortis.
Floret Januario, et Februario.
Vulgo: *Corona de Rey.*
Obs. Quamquam hujus Speciei imaginem possidemus à D. Isidoro Galvez expeditionis pictore ad vivum in Peruvia delineatam; ejus descriptionem et iconem omittimus utpote in variis operibus iteratam, praesertim in primo Florae Hispanicae Delectûs Fasciculo, ubi haec planta recte adhumbrata et propriis coloribus expressa exhibetur, Capsulâ tamen et Seminibus minoris naturali magnitudinis.

PANCRATIUM littorale.

2. P. spathâ multiflorâ, scapo compresso ancipiti, corollae laciniis tubo duplò brevioribus, foliis ensiformibus. Jacq. *Stirp. Amer. pict. p. 51. tab. 101.*

Radicis *Fibrae* longae, crassae, albidae.
Bulbus subglobosus, pomi mediocris magnitudine, tunicatus.
Scapus centralis, erectus, 1-2pedalis, compressus, anceps, nitidus, viridis, glaucus.
Folia ensiformia, acuta, longitudinaliter lineata, scapo longiora, distiche imbricata, viridi-glauca, erecto-patula, nitida.
Spatha suboctoflora, totidem foliolis, membranaceis, albicantibus, primùm erectis, tandem reflexis.
Flores divergentes, perpulchri.
Corolla magna: *Petala* lineari-lanceolata, reflexa, alba, tubo nectarii duplò breviora, canaliculata, apice incrassata.
Nectarii Tubus teres, viridis, gracilis, longissimus: *Limbus* campanulatus, plicatus, crenatus, petalis quadruplò brevior, albus.
Filamenta subulata, patentissima, viridia, nitida, corollae ferè longitudine. *Antherae* flavae, semipollicares, post foecundationem spiraliter contortae.
Stylus filiformis, corollae longitudine.
Colitur in *Limae*, *Chancay* et *Huanuci* Provinciarum hortis.
Floret Januario, et Februario.
Vulgo: *Pilillas* nuncupant.
Usus: Feminae caput hujus plantae floribus ornant.
Obs. Quamvis Jacquini descriptio satis idonea nobis visa est, addimus tamen, quam in Peruvia exaravimus, quoniam notas aliquas complectitur, quae in Jacquini descriptione desiderantur. Iconem autem praetermittimus; quòd Jacquini icon sat bona apparet, licèt bulbo et capsulâ careat.

PANCRATIUM ringens. Icon. CCLXXXIII. *Fig. b.*

3. P. spathâ subquinqueflorâ, floribus ringentibus, nectario brevi, staminibus corollae longitudine, foliis ensiformibus acuminatis.

Radicis *Fibrae* longae, filiformes, albicantes.
Bulbus subrotundus, tunicatus.
Scapus bipedalis, anceps, erectus, foliis longior.
Folia disticha, ensiformia, canaliculata, acuminata, supernè divergentia, obscurè viridia, avenia.
Spatha subquinqueflora, foliolis totidem, membranaceis,

albicantibus, sublanceolatis, marcescentibus.
FLORES sessiles, cernui, ringentes.
PETALA sex, linearia, reflexa, alba, sesquipollicaria, lineâ dorsali viridi.
Nectarii Tubus brevis, viridis: *Limbus* campanulatus, petalis quadruplò brevior, duodecimcrenatus, marginibus retroflexis, albo-virescens.
FILAMENTA declinata, assurgentia, petalorum longitudine, alba. *Antherae* luteae.
STYLUS staminibus longior, albus.
COLLITUR in *Peruviae* hortis.
FLORET Julio, Augusto et Septembri.

PANCRATIUM FLAVUM. ICON. CCLXXXIV. *Fig. a.*

4. P. spathâ multiflorâ, staminibus corollâ longioribus, tubo nectarii coarctato, petalis patulo-reflexis.
RADICIS *Fibrae* filiformes, longissimae, flexuosae.
BULBUS subglobosus, tunicatus.
SCAPUS subteres, sesquipedalis, erectus.
FOLIA post florescentiam prodeuntia, linearia, compressa, scapo paulò breviora, latitudine trium linearum.
SPATHA 5-9flora, foliolis membranaceis, sublanceolatis.
FLORES aurantii coloris, pedunculis inaequalibus.
PETALA flava, oblonga, usque ad medium convoluta, supernè divergentia, apice reflexa: *interiora* latiora.
Nectarii Tubus luteus, basi inflatus, medio coarctatus. *Limbus* petalis brevior, tubulatus, ore sexfido, luteus: *laciniis* erectis.
FILAMENTA lutea, petalis paulò longiora. *Antherae* luteae.
GERMEN subglobosum, obtusè trigonum. *Stylus* declinatus, lutescens.
CAPSULA nigra, ovata, triloba.
SEMINA atra, ovata, obliqua.
HABITAT in *Peruviae* collibus arenosis ad *Lurin* tractus passim prope *Pachacamac* castellum.
FLORET Decembri, et Januario.
Explic. Icon. 1 Capsula. 2 Eadem dehiscens. 3 Semina.

PANCRATIUM COCCINEUM. ICON. CCLXXXV. *Fig. b.*

5. P. spathâ multiflorâ, staminibus corollae longitudine, tubo nectarii tenui, petalis erectis.
RADICIS *Fibrae* numerosae, flexuosae, filiformes.
BULBUS subrotundus, tunicatus.
SCAPUS solitarius, centralis, subspiralis, pedalis et ultra, leviter striatus, solidus.
FOLIA post fructificationem prodeuntia, plana, ensiformi-linearia.
SPATHA 6-8flora, polyphylla: foliolis inaequalibus, membranaceis, lineari-subulatis, erectis.
FLORES pollicares, totidem foliolis distincti, umbellati, pedicellis inaequalibus, teretibus, gracilibus.
COROLLA coccinea: *Petala* erecta, oblonga, lineata; exteriora parvo acumine.
Nectarii Tubus infernè attenuatus; supernè cylindricus: *Limbus* cyathiformis, dentato-sexfidus; laciniis acutis.
STAMINA corollae longitudine, ad interstitia nectarii laciniarum.
CAPSULA triloba, subovata.
SEMINA nigra.
HABITAT in collibus ad *Tarmae* oppidi tractus.
FLORET Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Flos absque petalis. 2 Capsula dehiscens. 3 Semina.

PANCRATIUM RECURVATUM. ICON. CCLXXXV. *Fig. a.*

6. P. spathâ uni-triflorâ, tubo nectarii gracili recurvato, foliis ensiformibus carinatis.
RADICIS *Fibrae* paucae, breves, flexuosae.
BULBUS oblongus, tunicatus, extus purpurascens, intus albus.
SCAPUS solitarius, erectus, anceps, solidus, 1-2-3florus.
FOLIA ensiformia, compressa, carinata, lineato-nervosa, disticha, apice reflexo, glaberrima, longitudine ferè scapi.
SPATHA oblongo-lanceolata, rubro-purpurea, monophylla, striata, convoluta.
FLORES saepius tres, aliquando duo, rarius solitarii, longe pedicellati.
PEDICELLI teretes, supernè incrassati, inaequales, purpurascentes, erecti.
COROLLA cernua, purpureo-lutescens: *Petala* oblonga, acuminata, sesquipollicaria.
Nectarii Tubus recurvatus, tenuis, pollicaris: *Limbus* brevis, ovato-cyathiformis, dentato-sexfidus; *laciniis* nervis deorsum decurrentibus, purpureis, totidem lineis, luteis, staminibus terminatis, alternantibus.
STAMINA longitudine corollae, tria alternantia paulò breviora. *Antherae* luteae.
STYLUS staminibus longior.
CAPSULA obovata, acuminata, trigona, triloba.
SEMINA nigra, magna.
HABITAT in *Peruviae* praeruptis, praesertim ad *Cantae* Provinciae tractus circa *Obragillo* vicum.
FLORET Januario, et Februario.
VERNACULE Chihuanhuaita.
Explic. Icon. 1 Nectarium cum staminibus et stylo.

PANCRATIUM LATIFOLIUM. ICON. CCLXXXIV. *Fig. b.*

7. P. spathâ multiflorâ, floribus dependentibus, foliis lanceolato-oblongis latis.
RADICIS *Fibrae* filiformes, longae, flexuosae.
BULBUS subrotundus, tunicatus; tunicis apice imbricatis.

Scapus pedalis et ultra, solitarius, teres, lucidus, erectus.
Folia imbricata, lanceolato-oblonga, acuta, pedalia, latitudine 2-3pollicaria, supra striata, nitida, subtus nervosa, utrinque glabra, petiolata.
Petioli subteretes, uni-bipollicares.
Spatha multiflora, polyphylla: *foliolis* sublanceolatis, acutis, membranaceis, semicarinatis, deflexis, marcescentibus.
Flores sex, septem pluresve, dependentes.
Petala oblongo-lanceolata, acumine minimo, conniventia, luteo-rubra, apice viridia.
Nectarium luteum, basi viride: *Tubus* brevis: *Limbus* sexdentatus.
Filamenta subulata, dentibus nectarii alternantia, petalis longiora. *Antherae* oblongae, incumbentes.
Germen inferum, obtusè trigonum. *Stylus* filiformis, staminibus longior. *Stigma* parvum, obsoletè trigonum.
Capsula conica, trigona, trilocularis.
Semina plura, oblongo-subrotunda.
Habitat in *Peruviae Andium* umbrosis et humidis nemoribus ad *Vitoc* arcis Provinciae *Tarmae* vici tractus et colles.
Floret Decembri, et Januario.
Explic. Icon. 1 Nectarium scissum cum staminibus. 2 Pistillum auctum. 3 Capsula. 4 Eadem supernè transversim secta. 5 Semina.

PANCRATIUM viridiflorum.

8. P. spathâ 4-5florâ, limbo nectarii longitudine petalorum, foliis ensiformibus.
Radicis *Fibrae* filiformes, longissimae.
Bulbus oblongo-cylindricus, sesquipalmaris, tunicatus.
Scapus erectus, orgyalis, teres, laevis.
Folia longa, plana, ensiformia, erecto-patentia, divergentia.
Spatha 4-5flora, totidem foliolis, membranaceis, albidis, acutis, sublanceolatis, deciduis.
Flores omnino smaragdini coloris, magni, perpulchri.
Petala patentia, acuminata.
Nectarium longitudine corollae.
Stamina petalis longiora.
Habitat in nemoribus, passim in *Huassahuassi* et *Palca* versuris et locis petrosis.
Floret Novembri ad Februarium.
Obs. Iconem et specimina exsiccata in naufragio toties memorato amisimus.

PANCRATIUM variegatum.

9. P. spathâ quadriflorâ, floribus longissimis, nectarii limbo brevissimo, denticulis furcatis retroflexis.
Radicis *Fibrae* fasciculatae, filiformes, flexuosae.
Bulbus subrotundus, tunicatus.
Scapus solitarius, centralis, compresso-anceps, leviter striatus, nitidus, foliis longior, solidus.
Folia ensiformia, plana, venosa, striata, glabra, nitida, à medio ad apicem reflexa.
Spatha compresso-anceps, quadriflora, octophylla: *foliolis* ovato-lanceolatis, striatis, nervosis, deciduis; *exterioribus duobus* marginibus introflexis; *interioribus* gradatim minoribus, carinatis.
Pedunculi breves, trigoni, in flore recurvati, in fructu erecti.
Flores spithamei, ex luteo, roseo, albo-viridique colore variegati, cernui.
Petala sex, erecto-patula, lutea, marginibus roseis, apicibus extus viridibus, intus albidis, ovata, acuminata, extus subcarinata; tria exteriora latiora, acuminibus longioribus, retroflexis.
Nectarium tubulosum, limbo corollae quadruplò brevius; denticulis sex, furcatis, retroflexis, viridibus coronatum.
Filamenta sex, ori nectarii insidentia, subulata, erecta, aequalia, stylo breviora. *Antherae* oblongo-lineares, in coronulam conniventes.
Germen oblongum, trigonum, triquetrum. *Stylus* filiformis, corollae longitudine, erectus. *Stigma* capitatum, integrum, apice obsoletè perforatum.
Capsula oblonga, trigona, triloba, trilocularis, trivalvis.
Semina nigra.
Habitat in *Peruvia*. Colitur in *Limae* hortis.
Floret Julio, et Augusto.
Vulgo: *Flor del clarin* ob floris figuram.
Obs. 1. Inter plantas, quas vivas è Peruvia adsportavimus, floruit haec species à die secunda Julii, cum ad 4 gr. et 16 min. merid. navigaremus, ad diem 13 mensis Augusti, qua ad 30 gr. et 21 min. septent. pervenimus (1).

(1) In Hispaniam è Peruvia redituri in navim imposuimus in ipso Callao Portu, unde pridie Kalendas Martii anno MDCCLXXXVIII solvimus, centum viginti quatuor plantas viventes, quarum octoginta septem laete vigebant cum III. Nonas Septembris eodem anno Gades appulimus: decimo autem Kalendas Decembris pleraeque earum jussu Regio in Horto Botanico Matritensi, reliquae in Praedii Aranguesiani hortis consitae sunt.

Haud meminimus, unquam antea stirpes vivas ex America australi in Hispaniam Promontorium Hornense trascendentes pervenisse; quin quotquot è Peruvia eâdem viâ saepius misimus, ante idem Promontorium periisse constat, quod summo illius regionis frigori ii, quibus cura earum commissa fuerat, tribuerunt, asserentes, illac vivas transferri non posse: nos verò superatis semel difficultatibus non dubitamus, quin eâdem ac nos diligentiâ adhibitâ adsportari in Europam possint pretiosissima illarum Provinciarum vegetabilia, praesertim *Cinchonarum* Species, quae quidem duarum aut plurium navium itineris expensam et certorum hominum peritorum et salutis humanae studio praestantium industriam demerentur.

Species autem, quae Matritum vegetae pervenerunt, hae sunt:

Achras Lucuma. .	*Vernacule. Lucumo.*
Cedrela odorata.	*Cedro oloroso.*
Cerdana alliodora.	*Arbol del ajo.*
Pancratium variegatum.	*Flor del clarin.*

Obs. 2. In Appendice iconem exhibebimus hujus pulcherrimae plantae, quae in Reg. Hort. Botan. Matrit. cum Amaryllide miniata colitur, quin ab eo tempore (quod quidem sciamus) flores explicuerit.

AMARYLLIS aurea. Icon. CCLXXXVI. *Fig. a.*

1. A. spathâ unifloră, corollâ campanulatâ patentiusculâ, staminibus erectis, stylo declinato, bulbo bulbulis obvallato.

Radicis *Fibrae* fasciculatae, filiformes, albidae, flexuosae, bipollicares.

Bulbus rotundatus, tunicatus, per basim parvis bulbis numerosis, extus atris, nitidis obvallatus.

Scapus teres, leviter striatus, nitidiusculus, uniflorus.

Folia ensiformia, striata, infernè erecta, canaliculata; supernè plana, parum declinata.

Spatha oblonga, uniflora, profunde bifida, marcescens: *laciniis* lanceolatis, acutis, divergentibus.

Corolla campanulata, aurei coloris: *Tubus* brevis: *Limbus* sexpartitus; *laciniis* lanceolatis, à medio ad apicem patentissimis, parum deflexis.

Filamenta aequalia, erecta. *Antherae* versatiles.

Stylus declinatus.

Habitat in *Peruviae* arvis et inter segetes ad *Lurin, Surco, Magdalena, Lurigancho* et *Chorrillos* campos.

Floret Januario, et Februario.

Vernacule Hamancae de antibo, id est *Hamancae* colore motu lucis variabili.

Explic. Icon. 1 Stamen et Squama nectarifera ad laciniae corollae basim inserta.

AMARYLLIS flammea. Icon. CCLXXXVI. *Fig. b.*

2. A. spathâ uniflorâ, corollae laciniis semiconvolutis supernè patentibus reflexis, genitalibus brevibus erectis.

Lilio-Narcissus monanthos, coccineus. Feuill. *Obs. tom. 3. p. 29. pl. 21.*

Radicis *Fibrae* filiformes, flexuosae, breves.

Bulbus subrotundus, tunicatus.

Scapus solitarius, teres, pedalis, uniflorus.

Folium unicum in florescentiae tempore, ensiforme, carinatum, reflexum, scapo brevius; post florescentiam folia plura consimilia.

Spatha uniflora, diphylla: foliolis membranaceis, sublanceolato-subulatis, adpressis, supernè divergentibus, deciduis, albidiusculis.

Corolla flammeo-coccinea, nitida: *Tubus* brevis: *Limbus* sexpartitus, bipollicaris; *laciniis* lanceolatis, usque ad medium convolutis, supernè divergentibus, patenti-reflexis.

Nectarii squamae parvae, truncatae, crenatae, membranaceae, ad basim laciniarum corollae.

Filamenta aequalia, infra nectarii squamas inserta, stylo breviora, flammea, erecta. *Antherae* versatiles, luteae.

Stylus supernè flammei coloris. *Stigmata* tria.

Habitat inter segetes passim ad *Chancay* Provinciam, versus *Huaura* oppidum, et in *Conceptionis Chile* arvis et collibus.

Floret Augusto, et Septembri.

Vernacule: In Peruvia *Hamancayos* et *Hamancae* appellatur.

Obs. 1. Valde affinis est Amar. praecedenti.

Obs. 2. P. Feuill. post hujus plantae descriptionem addit, „ hujus plantae bulbum vulnerarium esse, detergentem „ et resolventem: Indosque eum contusum parti affec- „ tae sub cataplasmatis forma applicare."

AMARYLLIS chilensis.

3. A. spathâ subbiflorâ, corollis campanulatis, squamis nectarii tri-quadrifidis, staminibus declinatis alternis brevioribus.

Amaryllis (*Chilensis*) spathâ uniflorâ subbifoliâ lanceolatâ, floribus pedunculatis, foliis linearibus L' Herit. *Sert. Anglic. p. 11.*

Radicis *Fibrae* filiformes.

Bulbus subrotundus, tunicatus.

Scapus pedalis, erectus, teres, cavus, purpurascens, nitidus.

Folia scapo longiora, plura, linearia, utrinque attenua-

Pancratium maritimum.	*Vernac.*	*Coronas de Rey.*
Amaryllis miniata.		*Lacre de montaña.*
Ornithogalum corymbosum. . .		*Flor de cuenta.*
Porlieria hygrometra.		*Turucasa.*
Laurus persea.		*Palto, sive Aguacate.*
Laurus purpurea.		*Laurel morado.*
Laurus crassifolia.		*Laurel de hoja gruesa.*
Malpighia nitida.		*Ciruelas de frayle.*
Malpighia glandulosa.		*Ciruela de montaña.*
Myroxylum peruiferum. . . .		*Quinoquino.*
Cassia bipinnata.		*Cañafistula de monte.*
Psydium purpureum.		*Huayabo morado.*
Annona reticulata fructu maximo.		*Chirimoyo grande.*
Ferraria Lagües.		*Lagües.*
Satyrium latifolium.		

Pinus chilensis. . .	*Vernac.*	*Pino de Chile.*
Platanus Otahetianus.		*Arbol de las mantas.*
Llagunoa nitida.		*Arbol del rosario.*
Triplaris octandra.		*Palo santo.*
Carica Papaya.		*Papayo.*
Mimosa Inga.		*Pacae ó Huabas.*
Mimosa punicea..		*Huayta-rebozo.*

Quo loco animadvertere libet, cujusdam navis Lusitanae Navarchum, qui Fernambucum tendebat, cum nostram navim Draconem appellatam postridie nonas Julii offendisset, et plantarum vivarum foliis onustarum varietatem, florentes etiam Pancratium et Amaryllidem conspexisset, miratum valde fuisse et dubitasse per Promontorium Hornense transilientes incolumes in illam diem potuisse servari.

ta, compressa, obsoletè lineata, intus spongioso-favosa.
SPATHA biflora, rarius uni-triflora, diphylla, foliolis lineari-lanceolatis, membranaceis, striatis, albido-roseis, pedunculo longioribus.
FLORES pedunculati.
COROLLA campanulata, bipollicaris. *Tubus* brevis, luteus. *Limbus* quinquepartitus, aurantii coloris; *laciniis* lanceolatis, patulis.
Nectarii squamae sex, ori tubi insertae, staminibus adpressae, trifidae quadrifidaeque.
FILAMENTA declinata, corollâ dimidio breviora, tria alterna longiora. *Antherae* incumbentes, assurgentes.
STYLUS declinatus, staminibus longior.
HABITAT in *Conceptionis Chile* silvis et arvis.
FLORET Octobri, et Novembri.
VERNACULE Hamancae encarnado.
Obs. 1. Hujus speciei specimina exsiccata et iconem in naufragio memorato amisimus.
Obs. 2. Lilio-Narcissus monanthos, coccineus, FEUILL. *Obs. t. 3. p. 29. pl. 21.* Speciem re vera ab Amaryllide Chilensi L'HERIT. *Sert. Anglic. p. 11.* diversam constituit.
Obs. 3. Flores non parvam similitudinem cum floribus Amar. miniatae, belladonae, et reginae ostendunt.

AMARYLLIS MINIATA.

4. A. spathâ 2-4florâ, corollis campanulatis ringentibus, laciniâ supremâ retroflexâ; infimâ angustiori, genitalibus decumbentibus.
RADICIS *Fibrae* fasciculatae, longae, filiformes, flexuosae.
BULBUS subrotundo-ovatus, magnus, tunicatus, albus, sectus verò, et aëri expositus statim minii colorem acquirit.
SCAPUS unicus, centralis; saepe duo laterales è singulo bulbo, foliis breviores, erecto-patuli, teretes, obsoletè ancipites, cavi, vix purpurascentes, pulvere albido, tenuissimo adspersi.
FOLIA ensiformia, glabra, utrinque lineata, supra nitidiora, à medio ad basim erecta, carinata; supernè patentia, plana, apice deflexo.
SPATHA purpurascens, 2-4flora, subanceps; totidem foliolis, inaequalibus, membranaceis, striatis, oblongo-lanceolatis, acutis, marcescentibus; interioribus gradatim minoribus.
FLORES pedunculati, cernui, magni, pulchri.
PEDUNCULI inaequales, teretes; in flore curvati, in fructu erecti.
COROLLA incarnata, minii coloris, lucida, subtripollicaris, longitudinaliter lineato-striata: *Tubus* brevis, vix trilinearis, obtusè trigonus, extus duodecim lineis, gemellis, viridibus maculatus, intus viridis: *Faux* patens, stellulâ viridi-albâ notata: *Limbus* campanulatus, sexpartitus; *laciniis* patentibus, lanceolato-oblongis, longitudine aequalibus, extimis latioribus, superiore resupinatâ; trium interiorum infimâ angustiori.
Nectarii squamae sex, albae, multisetae, ad interstitia fundo faucis corollae insertae.
FILAMENTA subulata, styli ferè longitudine, apice incurvata, corollae laciniae infimae incumbentia, ad basim laciniarum inserta, squamis nectarii alternantia, tria alterna breviora: infernè albido-viridia, supernè incarnata, apicibus albis. *Antherae* magnae, albae, post pollinis effusionem luteae, incumbentes, lineares, tetragonae, quadrisulcae, biloculares, per sulcos laterales effundentes.
GERMEN obovatum, obtusè trigonum, triquetrum. *Stylus* infernè albo-viridis, supernè ruber, filiformis, corollae longitudine, cum staminibus declinatus. *Stigma* trigono-trilobum.
CAPSULA obovato-oblonga, trigona, trilocularis, trivalvis, fusci coloris.
SEMINA plura, nigra, imbricata.
HABITAT copiosè in *Andium* nemoribus ad versuras et in hortis *Chinchao*, *Macora*, *Machaynio* et *Mesapata*.
FLORET Julio, Augusto et Septembri, quo postremo mense etiam in Hort. Reg. Matr. florere solent proles plantarum, quas ex Peruvia vivas adsportavimus.
VULGO: *Lacre de Montaña*, quia bulbus sectus et aëri expositus per scissiones omnes minii colorem (aut *Lacre*, id est Cerae obsignatoriae) brevi tempore contrahit: praeterea Incolae succo ipsius bulbi epistolas obsignant, et tandem illud nomen florum colori etiam respondet.
Obs. 1. Affinis est Amaryllidi belladonae Linnaei, à qua differt bulbo albo, et aëri exposito, per scissiones rubicundo, corollâ subringente, basi glabrâ; laciniis exterioribus latioribus, supremâ resupinatâ, infimâ interiori angustiori, aliisque notis in descriptione traditis.
Obs. 2. In Appendice iconem hujus Speciei evulgare posse speramus.

AMARYLLIS BICOLOR.

5. A. spathâ 6-12florâ, corollis subcampanulatis rubris apice virescentibus, nectariis bicornibus.
RADICIS *Fibrae* fasciculatae, crassiusculae, filiformes, albescentes.
BULBUS subrotundo-ovatus, tunicatus.
SCAPUS erectus, anceps, solitarius, centralis.
FOLIA ensiformia, erecto-patentia.
SPATHA 6-12flora, totidem foliolis, inaequalibus, membranaceis, striatis, marcescentibus.
COROLLA subcampanulata, sesquipollicaris: *Tubus* brevis: *Limbus* sexpartitus; *laciniis* erectis, supernè patentiusculis, lanceolatis, rubris, apice viridibus.
Nectarii squamae bicornes, ad basim laciniarum.
FILAMENTA corollâ breviora, erecta.
CAPSULA trigona, fusci coloris.
SEMINA nigra.

Habitat in praeruptis *Tarmae* et *Acobamba* collibus.
Floret Julio, et Augusto.
Vernacule Hamancae de dos colores.

CRINUM urceolatum. Icon. CCLXXXVII. *Fig. b.*

1. C. spathâ multiflorâ, floribus campanulato-urceolatis dependentibus tricoloribus, foliis oblongis longè petiolatis.

Radicis *Fibrae* filiformes, longae.
Bulbus subrotundus, tunicatus.
Scapus solitarius, teres, solidus, pedalis, contortus, subspiralis.
Folia in florescentiae tempore solitaria binaque, longè petiolata, erecta, tripalmaria, latitudine sesquipalmari, multinervia, utrinque glabra.
Petioli infernè teretes, supernè compressi, subancipites.
Spatha pentaphylla, quinqueflora: *foliolis* lineari-lanceolatis, marcescentibus, *duobus exterioribus* majoribus.
Flores umbellati, pedunculati, dependentes.
Pedunculi apice attenuati.
Corolla à medio ad basim laciniarum lutea, supernè viridis, marginibus albidis, bipollicaris. *Tubus* cylindricus, tenuis, semipollicaris. *Limbus* campanulato-urceolatus, sexpartitus: *laciniis* lanceolatis, concavis, tribus exterioribus acuminatis.
Stamina corollâ paulò longiora. *Antherae* incumbentes, parvae, luteae.
Stylus staminibus longior. *Stigma* trigonum.
Capsula trigona, trisulca, trilocularis.
Semina plura.
Habitat in *Andium* nemoribus ad *Pozuzo* et *Pampamarca* tractus.
Floret à Junio ad Novembrem.

ALSTROEMERIA. Linn. *Gen. pl. p.* 227.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. nullus.
Cor. hexapetala, campanulata: *Petala tria exteriora* oblongo-cuneiformia; *interiora* alternantia, cuneiformi-spathulata, basi semitubulosa.
Stam. *Filamenta* sex, receptaculo inserta, subulata, corollâ breviora, *alternantia* parum longiora. *Antherae* erectae, ovales, biloculares, sulcatae, longitudinaliter utrinque dehiscentes.
Pist. *Germen* inferum, 3-6angulare. *Stylus* filiformis, longitudine staminum. *Stigmata* tria, simplicia, linearia, reflexa.
Per. *Capsula* subrotundo-ovalis, 3-6angularis, 3locularis, 3valvis; *valvulis* divergentibus, medio septiferis, septis basi conjunctis.
Semina plura, globosa, cornea, receptaculis per angulos internos decurrentibus inserta.

Obs. 1. Corolla in Speciebus caule erecto magis minusve patens, subringens: in reliquis campanulata. *Petala* exteriora plana, interiora tria, aut rarius duo basi angusta, semitubulosa. *Genitalia* in Speciebus caule erecto plerumque declinata: in ceteris erecta. *Stigmata* tria, simplicia, reflexa. *Capsula* polymorpha: in plerisque Speciebus trigona, trisulca; in aliis hexagona, angulis alternis productioribus: in nonnullis capsula sicca, trivalvis; in aliis intus pulposa seminibus nidulantibus, sponte non dehiscens.
Obs. 2. A. L. Jussieus inter Narcissos hoc genus, quod inter ejusdem Asparagos potius collocandum, recensuit; sed ipse Jussieus addidit ¿an affinior Liliis?

Habitus.

Plantae herbaceae, perennes. *Radix* fibrosa, filiformis, longissima, tuberoso-pendula: *Tubera* oblongo-cylindrica, aut oblonga, vel subrotunda, hyalina, tenera, succosa, alba. *Caules* plures, simplicissimi, erecti, aut assurgentes, scandentes, vel volubiles. *Folia* sparsa aut alterna, integerrima, nervosa, striata, basi apiceque contorta. *Flores* terminales, umbellati, rarius umbellato-corymbosi. *Umbella* radiis seu pedunculis paucis aut numerosis, plerumque unifloris, saepe 2-5floris, involucrata, saepius nutans. *Involucrum* foliolis totidem, intimis sensim minoribus. *Pedicelli* bracteâ stipati.

ALSTROEMERIA peregrina. Icon. CCLXXXVIII.

1. A. caule erecto-assurgente, foliis lineari-lanceolatis contortis, floribus 2-6nis, petalis exterioribus obcordatis acuminatis.

A. (*pelegrina*) caule erecto. Linn. *Sp. plant. tom. 2. p. 90.* Jacq. *Hort. Vindob. vol. 1. p. 20. tab. 50.*
A. (*pelegrina*). Orteg. *Delect. Fl. Hisp. descript. 2. ic. 2.*
Hemerocallis floribus purpurascentibus, maculatis. Feuill. *tom. 2. p. 711. pl. 5.*

Planta perennis, glabra, glauci coloris.
Radix fasciculata, longissima, tuberoso-pendula, oblongo-cylindrica, infernè fibrillosa, alba, tenera, subhyalina.
Caules plures, simplicissimi, bipedales et ultra, erecto-assurgentes, teretes, in florescentia infernè defoliati.
Folia sparsa, conferta, sessilia, lineari-lanceolata, spiraliter contorta, reflexa, striata, crassiuscula, lucida.
Pedunculi terminales, 2-3ni, saepe 4-6ni, subumbellati, teretes, uniflori, foliis terminalibus longiores, nitidi.
Corolla bipollicaris, formosissima. *Petala* purpureo-rosea; *exteriora* obcordata, acuminata, alba, in centro intensè rubra, apice viridia; *interiora* duplò angustiora, obovata, acuminata, integerrima, punctis et maculis versicoloribus variegata.

Stamina declinata, corollâ breviora : *Filamenta* subulata. *Antherae* erectae, ovales, obscurè purpureae.

Stylus staminibus brevior. *Stigmata* tria, divergentia.

Capsula subglobosa, obtusè acuminata, trigona, obsoletè trisulca, trivalvis, pallescens.

Semina globosa, lutescentia.

Habitat in collibus, praeruptis, maritimis, arenosis et glareosis Provinciarum *Limae*, *Chancay*, *Huanuci* et in Regno Chilensi. Colitur etiam in Europae hortis.

Floret in Peruvia Augusto et Septembri, ad *Conceptionis* urbem Novembri, et Decembri.

Vulgo Peregrina, non *Pelegrina*. Baetici *Azuzena de Lima* appellant.

Vires et Usus : In Delectu Flor. Hispanicae vires et usus D. Ortega adjecit, quos nos etiam eosdem observavimus. In Americes et Hispaniae hortis ob florum formam in vasis fictilibus studiosè colitur. Chilenses Radicum tubera recentiora ante foliorum explicationem contundunt, et in aqua macerata per setaceum, aut per linteum rarioris texturae colant cum expressione : liquorem post subsidentiam paucarum horarum decantant : faeculam denuò in aqua maceratam et per setaceum trajectam solaribus radiis exponunt, et exsiccatam ad usum servant. Ex hujusmodi faeculâ, cujus pulvis tenuitate et albedine cum siligineae farinae polline certat, pultes purissimas, decolores, et gelatinae instar pellucidas cum saccharo conficiunt, aegrotisque ipsorum vires instaurantes, stomacho leves et sapidissimas praebent. Quandoque etiam tubera exsiccant, eisdemque in pulverem redactis, et per setaceum trajectis utuntur.

Explic. Icon. 1 Capsula. 2 Eadem aperta cum seminibus receptaculis affixis. 3 Semina.

ALSTROEMERIA ligta.

2. A. caule erecto, foliis lanceolato-linearibus, floribus umbellatis, petalis subconformibus.

Alstroemeria (*Ligta*), foliis spathulato-oblongis, pedunculis umbellae involucro longioribus, corollâ bilabiatâ. Linn. *Supp. plant. p. 207.*

Hemerocallis floribus purpurascentibus, striatis. Vulgo *Ligtu*. Feuill. *Obs. phys. tom. 2. p. 710. pl. 4.*

Planta perennis, glabra, ferè glauci coloris.

Radix fasciculata, filiformis ; ex singulo filo pendet *tuber* oblongo-cylindricus, palmaris, hyalinus, tenerrimus, sapore subdulci.

Caules plures, erecti, pedales, simplicissimi, subteretes, infernè sensim attenuati, in florescentia infernè defoliati.

Folia sparsa, sessilia, lanceolato-linearia, spiraliter contorta, striata.

Pedunculi terminales, umbellati, 6-10, aliquando plures, involucrati, uniflori, rarius biflori, teretes, erecti.

Involucrum polyphyllum ; foliolis lanceolatis.

Corolla perpulchra, sesquipollicaris : *Petala* roseo-carnea, cuneiformi-lanceolata, acuminata ; *tria* interiora angustiora, quorum duo superiora pluribus punctis variegata.

Capsula hexagona, pallescens, nucis avellanae magnitudine.

Semina globosa, lutei coloris.

Habitat passim in arenosis *Conceptionis* urbis in Regno Chilensi, et copiosè in *D. Petri arcis* agris.

Floret Novembri, et Decembri.

Vernacule Liutu et P. Feuill. *Ligtu* appellat.

Vires et Usus : Eisdem, ac Alstroemeria peregrina praedita est. Chilenses ex radicis tuberibus illam faeculam, sive farinam memorabilem *Liutu* nuncupatam, eadem methodo ac in praecedenti praescripta, copiosè in D. Petri arce extrahunt.

Obs. Icones et specimina sicca hujus Speciei et sequentium Regni Chilensis indigenarum, in naufragio toties memorato amisimus ; quapropter earum icones hîc non adjicimus.

ALSTROEMERIA revoluta.

3. A. caule erecto, foliis lanceolatis, petalis reflexis; interioribus minoribus.

Radix longissima, filiformis, fasciculata, tuberoso-pendula : *tubera* solitaria, oblonga, tenera, alba.

Caules plures, erecti, simplicissimi.

Folia sparsa, lanceolata, nitida.

Flores umbellati, involucrati : *involucrum* polyphyllum: foliolis lanceolatis.

Umbella totidem pedunculis, ac foliola involucri.

Pedunculi biflori.

Petala purpurea, revoluta ; interiora minora, quorum duo superiora à medio ad basim lutea, punctis purpureis maculata.

Stylus triquetrus, staminibus brevior.

Habitat in *Rere* Provinciae collibus prope Regni Chilensis *Huilquilemu* oppidum.

Floret Decembri, et Januario.

ALSTROEMERIA versicolor.

4. A. caule erecto, foliis lanceolato-linearibus, umbellâ bi-triflorâ, petalis internis angustioribus, infimo breviore, latiore.

Planta perennis, glabra.

Radix fasciculata, tuberoso-pendula : *tubera* oblonga, alba, hyalina, tenerrima.

Caules plures, simplicissimi, semipedales, erecti, subteretes.

Folia sparsa, sessilia, lanceolato-linearia.

Umbella 2-3flora.

Petala lutea, maculis purpureis variegata : tria exteriora aequalia, interiora angustiora, quorum duo supre-

ma plus angusta, alterum paulò brevius, latius.
STIGMA trifidum.
HABITAT in *Regni Chilensis* collibus aridis altis ad Provinciae *Rere* tractus prope *Huilquilemu* oppidum et in *Laxa* campis.
FLORET Decembri, et Januario.

ALSTROEMERIA HAEMANTHA.

5. A. caule erecto, foliis lineari-lanceolatis ciliatis, umbellâ subsexradiatâ, pedunculis bifloris, petalis exterioribus serratis.
PLANTA perennis.
RADIX filiformis, longissima, tuberoso-pendula: *tubera* oblonga, hyalina, tenera, alba.
CAULES plures, erecti, simplicissimi, pedales.
FOLIA sparsa, lineari-lanceolata, revoluta, margine minutim ciliata.
UMBELLA quinque sexradiataque: radiis bifloris.
PETALA sanguinei coloris; quinque basi tubulosa, infimum interius planum: exteriora tria apice serrata, quorum superius brevius: *interiora duo superiora* reliquis longiora, et angustiora, lineis luteis variegata; alterum inferius longitudine duorum exteriorum lateralium.
HABITAT in *Regni Chilensis* collibus et ruderatis ad *Rere* Provinciae tractus.
FLORET Decembri, et Januario.
Obs. Variat *foliis* lanceolatis, *petalis exterioribus* acuminatis, albido-purpureis, maculâ obscurè purpureâ notatis; *interioribus* obsoletè serratis, obtusis, colore albo, luteo et purpureo variegatis.

ALSTROEMERIA LINEATIFLORA. ICON. CCLXXXIX.

6. A. caule erecto, foliis lanceolatis, umbellâ 4-7radiatâ, pedunculis bifloris unifoliis, petalis serratis lineatis.
PLANTA herbacea, perennis, glabra.
RADIX filiformis, fasciculata, tuberoso-pendula: *tubera* oblongo-cylindrica, tenera, hyalina.
CAULES plures, erecti, simplices, nitidi, subpurpurascentes, teretes, cavi, 2-3pedales.
FOLIA sparsa, sessilia, lanceolata, latiuscula, septemnervia, striata, integerrima, utrinque nitida, basi contorta; superiora approximata.
UMBELLA 4-7radiata, foliolis totidem involucrata.
PEDUNCULI divergentes, furcati, biflori, foliolo ad basim pedicelli brevioris lanceolato.
PETALA purpurea, obovato-cuneiformia, serrata, acuminata, acumine viridi, lineata; duo interiora superiora angustiora, luteo et purpureo colore variegata, basi tubulosa, reliqua plana.
STAMINA declinata. *Antherae* erectae, assurgentes, virides.
STYLUS declinatus, ruber. *Stigmata* tria, reflexa.
CAPSULA ovalis, truncata, acuminata, hexagona, purpurascens.
HABITAT in *Peruviae* collibus ad *Pongo* Provinciae *Camana* vicum.
FLORET ab Aprili ad Julium.
Explic. Icon. 1 Petalum exterius. 2 Petalum interius. 3 Stamen. 4 Pistillum.

ALSTROEMERIA DISTICHIFOLIA. ICON. CCLXXXVII. *Fig. a.*

7. A. caule adscendente, foliis distichis oblongo-lanceolatis, umbellâ 3-8florâ, petalis aequalibus; interioribus planis.
PLANTA herbacea, perennis, glabra.
CAULIS solitarius, simplicissimus, adscendens, bipedalis, filiformis.
FOLIA alternatim disticha, oblongo-lanceolata, apice contorto, subtus striata, nervosa, bipollicaria, inferiora minora.
PETIOLI breves, contorti.
UMBELLA 3-8radiata, involucrata.
INVOLUCRUM bracteolis subulatis, inaequalibus, parvis.
PEDUNCULI teretes, ferè pollicares, uniflori, divergentes.
COROLLA punicea, semipollicaris.
PETALA longitudine aequalia, cuneiformia, acumine minimo: *tria exteriora* basi canaliculata; *interiora* latiuscula.
ANTHERAE violaceae.
CAPSULA ovalis, obtusè trigona, punicea, obscurè trisulca, non dehiscens.
SEMINA subrotunda, paucâ pulpâ nidulantia, fulvescentia.
HABITAT in *Peruviae Andium* nemoribus, et in *Muña* montibus altis, frigidis, humidis.
FLORET à Majo ad Octobrem.
Explic. Icon. 1 Petalum exterius. 2 Petalum interius. 3 Stamina. 4 Pistillum.

ALSTROEMERIA SECUNDIFOLIA. ICON. CCXC. *Fig. a.*

8. A. caule dependente, foliis secundis lanceolatis acutissimis subtus albis, umbellâ subquinqueflorâ, floribus hirsutis.
PLANTA herbacea.
CAULIS solitarius, simplicissimus, bipedalis, filiformis, teres, pendulus, glaber.
FOLIA alterna, lanceolata, secunda, acutissima, sesquipalmaria, latitudine ut plurimum pollicari, utrinque longitudinaliter lineata, nervosa, margine retroflexa, supra glabra, subtus obsoletè tomentosa, alba.
UMBELLA terminalis, 4-6radiata, involucrata.
INVOLUCRUM polyphyllum: *foliolis* parvis, subulatis, erecto-patentibus.
PEDUNCULI uniflori, sesquipollicares, teretes, filiformes.
COROLLA semipollicaris: *Petala exteriora* oblongo-obovata, interioribus parum latiora, punicea, extus lanugi-

nosa ; *tria interiora* basi canaliculata , lutea , punctis nigris maculata, apice viridia , cuneiformia.

Germen lanuginosum. *Stigmata* lanuginosa.

Capsula oblonga , hexagona , angulis alternis productioribus , trilocularis , non dehiscens , obtusa , lutea, rugosa , scabra , parvae nucis juglandis magnitudine.

Semina in pulpa nidulantia , subrotundo-obovata , rubra.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus in *Muña* montibus altis frigidis , et humidis.

Floret à Majo ad Octobrem.

ALSTROEMERIA salsilla.

9. A. caule volubili , foliis lanceolatis , umbellâ 5-10radiatâ, pedunculis dichotomis trifloris.

Alstroemeria (*Salsilla*) caule volubili. Linn. *Sp. pl. tom. 2. p. 90.*

Hemerocallis scandens, floribus purpureis, vulgo *Salsilla*. Feuill. *tom. 2. p. 713. pl. 6.*

Planta herbacea.

Radix longissima , filiformis , fibrillosa , tuberoso-pendula : *tubera* subrotunda , ciceris magnitudine , tenera, hyalina.

Caulis volubilis , simplicissimus , striatus.

Folia alterna , lanceolata , striata, basi spiraliter contorta.

Umbella terminalis , 5-10 , vel pluribus radiis , involucrata.

Involucrum foliolis totidem , lanceolatis.

Pedunculi dichotomi , triflori , ad basim pedicellorum bracteâ lanceolatâ.

Petala obovato-cuneiformia , purpurea : *tria interiora* parum angustiora , ad basim maculâ intensè violaceâ notata.

Habitat in *Regni Chilensis* silvis ad *Conceptionis* urbis tractus.

Floret Octobri , et Novembri.

Obs. 1. Radix à descriptione et icone P. Feuill. non parum recedit.

Obs. 2. Iconem nostram hujus Speciei correctam in saepius dicto naufragio amisimus.

ALSTROEMERIA anceps.

10. A. caule volubili ancipiti , foliis lanceolatis acutis, umbellâ 17florâ , petalis aequalibus punctis atro-purpureis.

Planta herbacea , glabra.

Caulis volubilis, simplicissimus, gracilis , anceps.

Folia alterna , breviter petiolata , lanceolata , acuta , integerrima , lineata , basi apiceque spiraliter contorta.

Umbella terminalis, 17flora , involucrata.

Involucrum polyphyllum , foliolis lanceolatis.

Petala intensè purpurea , intus obscurè lutea , punctis atro-purpureis maculata.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Huassahuassi* tractus.

Floret Octobri , et Novembri.

ALSTROEMERIA rosea.

11. A. caule volubili tereti , foliis ovato-lanceolatis , umbellâ 18radiatâ , petalis interioribus lineis nigris maculatis.

Planta herbacea.

Caulis volubilis, teres , glaber, nitidus , quinquepedalis.

Folia alterna , breviter petiolata , ovato-lanceolata , acuta , integerrima , striata , subtus pubescentia , supra glabra.

Petioli breves , spiraliter contorti.

Umbella 18radiata , involucrata.

Involucrum polyphyllum , foliolis linearibus , inaequalibus , brevibus.

Pedunculi erecti , teretes , aequales , apice reflexi , ad medium bracteâ subulatâ , persistente stipati.

Petala rosea , apicibus viridibus : *tria interiora* basi tubulosa , apice lineis nigris maculata , et viridiora.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Huassahuassi.*

Floret Februario , et Martio.

ALSTROEMERIA crocea.

12. A. caule volubili tereti , foliis lineari-lanceolatis subtus pubescentibus , umbellâ multiflorâ , petalis aequalibus croceis.

Planta herbacea , triorgyalis.

Caulis volubilis , teres , glaber.

Folia sparsa , sessilia, lineari-lanceolata, acutissima, integerrima, supra glabra, subtus pubescentia, albida, erecto-patentia , nervosa , striata , basi contorta , sesquipalmaria , latitudine 4lineari.

Umbella terminalis , multiflora , involucrata.

Involucrum foliolis totidem , oblongo-lanceolatis, acutis, foliis caulinis latioribus , triplòque brevioribus.

Pedunculi arcuati , pubescentes , purpurei.

Corolla sesquipollicaris.

Petala crocei coloris , aequalia, interiora basi tubulosa.

Capsula albida , pubescens.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Churupallana* in *Tarmae* Provincia.

Floret Octobri , Novembri et Decembri.

Vernacule Chocllocopa nuncupatur.

ALSTROEMERIA bracteata. Icon. CCXCI. *Fig. b.*

13. A. caule volubili , foliis lanceolato-linearibus, umbellâ 5radiatâ sub12florâ , petalis interioribus spathulatis.

Planta herbacea.

Caulis volubilis, teres, simplicissimus, supernè pubescens.

Folia sparsa , remota , lanceolato-linearia , integerrima,

striata, nervosa, basi apiceque contorta, subtus lineata et pubescentia.

UMBELLA quinqueradiata, involucrata.

INVOLUCRUM foliolis totidem, lanceolatis.

PEDUNCULI longi, erecti, teretes, pubescentes, 2-3flori, divergentes, bracteâ oblongo-lanceolatâ ad basim pedicellorum.

PETALA *tria exteriora* purpurea, oblongo-lanceolata, apice viridia; *tria interiora* viridia, basi lutea, margine prope apicem punctis violaceis maculata.

HABITAT in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Huassahuassi.*

FLORET Novembri, et Decembri.

VERNACULE Pini-pini nuncupatur.

ALSTROEMERIA COCCINEA. ICON. CCXCI. *Fig. a.*

14. A. caule assurgenti villoso, foliis ovatis acutis, umbellâ 2-4florâ, petalis oblongo-cuneiformibus.

PLANTA herbacea, perennis.

RADIX filiformis, fibrillosa, tuberoso-pendula: *tubera* oblonga, alba, tenera, hyalina.

CAULIS ferè tripedalis, simplicissimus, teres, assurgens, infernè attenuatus, à medio ad basim squamis loco foliorum ovatis, minimis obsitus, villosus, supernè flexuosus.

FOLIA alterna, breviter petiolata, ovata, acuta, integerrima, supra striata, glabra, subtus nervosa, villosa: *inferiora* sensim minora.

PETIOLI spiraliter contorti.

UMBELLA terminalis, 2-4flora, involucro nullo.

PEDUNCULI teretes, villosi, bipollicares, uniflori.

FLORES parvi, semipollicares.

PETALA *exteriora* oblonga, coccinea, apice viridia; *tria interiora* cuneiformia, luteo-virescentia, punctis purpureis maculata.

STAMINA corollâ breviora, tria alternantia tribus reliquis longiora.

CAPSULA pubescens, ovalis, non dehiscens.

SEMINA plura, in pulpâ nidulantia.

HABITAT in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Huassahuassi* locis umbrosis.

FLORET Octobri, et Novembri.

Explic. Icon. 1 Pistillum cum staminibus.

ALSTROEMERIA SETACEA. ICON. CCXCII. *Fig. b.*

15. A. caule scandente, foliis lanceolatis, umbellâ simplici radiis numerosis, bracteolis setaceis, corollâ parvâ.

PLANTA herbacea.

CAULES scandentes, simplicissimi, 3-4driulnares, nitidi, glabri, subteretes.

FOLIA sparsa, lanceolata, integerrima, sesquipollicaria, breviter petiolata, striata, supra glabra, subtus pubescentia, latitudine semipollicari.

PETIOLI contorti.

UMBELLA terminalis, involucrata, radiis frequentius à 18 ad 35, saepe paucioribus.

INVOLUCRUM polyphyllum: foliolis parvis, lanceolatis, acutis.

PEDUNCULI divergentes, teretes, pubescentes, uniflori, unibipollicares, bracteolâ infra medium setaceâ.

FLORES parvi, vix semipollicares.

PETALA erecto-conniventia, acumine minimo, glabra; *exteriora* oblonga, punicea; *interiora* spathulata, lutea.

STAMINA corollâ breviora.

CAPSULA subrotunda, trigona, cerasi magnitudine, truncata, apice trivalvis.

SEMINA subrotunda, rubra.

HABITAT in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Pillao.*

FLORET Julio, Augusto et Septembri.

Explic. Icon. 1 Petalum exterius. 2 Petalum interius. 3 Pistillum cum staminibus. 4 Capsula aperta. 5 Semina.

ALSTROEMERIA TOMENTOSA. ICON. CCXCII. *Fig. a.*

16. A. caule subvolubili, foliis lanceolatis marginibus reflexis subtus tomentosis, umbellâ multiflorâ, radiis bifloris.

PLANTA herbacea, perennis.

RADIX filiformis, longa, tuberoso-pendula: *tubera* oblonga, alba, tenera, hyalina.

CAULIS ferè 4pedalis, subvolubilis, simplicissimus, angulatus, leviter striatus, nitidus, glaber.

FOLIA sparsa, lanceolata, breviter petiolata, integerrima, supra enervia, subtus striato-nervosa, tomentosa, incana, basi apiceque spiraliter contorta, 1-3pollicaria, latitudine pollicari, marginibus reflexis.

UMBELLA multiflora, involucrata.

INVOLUCRUM polyphyllum: foliolis lanceolatis.

PEDUNCULI biflori, bracteolâ ad basim floris serioris.

FLORES parvi.

PETALA *exteriora* oblonga, coccinea: *tria interiora* spathulata, basi semitubulosa, lutescentia.

CAPSULA subrotunda, trigona, obscurè coccinea.

SEMINA in pulpa dulci nidulantia.

HABITAT in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Muña* et *Pillao* locis frigidis et pluviosis.

FLORET à Majo ad Octobrem.

Usus: Incolae pulpam edunt, in qua semina nidulantur.

Explic. Icon. 1 Petalum exterius. 2 Petalum interius. 3 Pistillum cum staminibus.

ALSTROEMERIA DENTICULATA. ICON. CCXCIII. *Fig. b.*

17. A. caule scandente, foliis lanceolato-ovatis acutissi-

mis, marginibus repando-denticulatis, floribus umbellato-corymbosis.

PLANTA herbacea, perennis.

RADIX filiformis, tuberoso-pendula : *tubera* oblonga, hyalina.

CAULES simplicissimi, scandentes, teretes, nitidi, fulvescentes, glabri.

FOLIA alterna, remota, breviter petiolata, lanceolato-ovata, acutissima, multinervia, striata, marginibus retroflexis, repando-denticulatis, supra glabra, subtus per nervos densè pubescentia, 1-3pollicaria, latitudine ut plurimum pollicari.

PETIOLI bilineares, repando-dentati, contorti.

FLORES umbellato-corymbosi, numerosi, parvi.

PEDUNCULI conferti, alternantes, uniflori, totidem bracteis subulatis suffulti, squamulis furfuraceis tecti.

COROLLA rubro-lutescens.

PETALA longitudine aequalia ; *tria exteriora* oblongo-obovata, acumine minimo ; *interiora* cuneiformia, basi semitubulosa, acuminata.

STAMINA corollâ breviora.

GERMEN turbinatum. *Stigmata* tria, reflexa.

HABITAT in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Patasaria*, montibus altissimis, frigidis, pluviosis.

FLORET Septembri, Octobri et Novembri.

Explic. Icon. 1 Petalum exterius. 2 Petalum interius. 3 Pistillum cum staminibus.

ALSTROEMERIA FIMBRIATA. ICON. CCXCIII. *Fig. a.*

18. A. caule volubili, foliis lanceolatis angustis, umbellâ multiflorâ, petalis interioribus fimbriatis.

PLANTA herbacea, perennis.

CAULES volubiles, simplicissimi, teretes, nitidi, glabri.

FOLIA alterna, petiolata, lanceolata, acutissima, nervosa, striata, supra glabra, subtus leviter pubescentia, ferè tripollicaria, latitudine vix pollicari.

PETIOLI trilineares, contorti.

UMBELLA multiflora, simplex, involucrata, à 25 ad 50 et ultra flores.

INVOLUCRUM foliolis totidem lanceolatis, retroflexis, intimis sensim minoribus.

PEDUNCULI pollicares, contorti, rubicundi, uniflori.

COROLLA ferè pollicaris, lutea, colore croceo variegata.

PETALA *interiora* apice viridia, spathulata, margine fimbriata, basi semitubulosa ; *tria exteriora* cuneiformia, integerrima.

CAPSULA parvae nucis magnitudine, subovata, truncata, trigono-alata, trisulca, internè externeque transversim rugosa, apice per angulos ultra medium dehiscens, patentissima et tunc subtus tricornis aut tricalcarata, valvulis ovatis, obtusis, acumine minimo, medio septiferis.

SEMINA globosa, rubicunda, receptaculis per angulos internos decurrentibus inserta, vix grani piperis magnitudine.

HABITAT in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Pozuzo*.

FLORET Octobri, et Novembri.

Explic. Icon. 1 Petalum exterius. 2 Petalum interius. 3 Pistillum cum staminibus. 4 Capsula dehiscens. 5 Eadem aperta cum seminibus receptaculo alteri affixis. 6 Semina.

ALSTROEMERIA PURPUREA. ICON. CCXCIV. *Fig. a.*

19. A. caule scandente, foliis lanceolatis angustis subtus pubescentibus, floribus corymbosis subumbellatisque purpureis.

PLANTA herbacea, perennis.

CAULES simplicissimi, scandentes, triorgyales, supernè sulcati, pubescentes, infernè ob pubescentiae delapsum glabri, teretes, nitidi.

FOLIA sparsa, remota appropinquataque, lanceolata, acuta, nervosa, striata, integerrima, plana, longitudine palmari, latitudine ferè pollicari, subtus pubescentia, supra glabra.

PETIOLI contorti, bilineares.

FLORES terminales, corymbosi subumbellatique, numerosi, à 20 ad 60.

PEDUNCULI uniflori, sesquipollicares, lanuginosi, purpurei : bracteis totidem, lanceolato-linearibus stipati, in nonnullis bracteolâ ad medium consimili.

COROLLA purpurea, pollicaris.

PETALA *exteriora* cuneiformia, obtusè acuminata; *interiora* spathulata, basi semitubulosa.

STAMINA longitudine ferè corollae. *Antherae* luteae, ovales.

CAPSULA subturbinata, truncata, trigono-alata, triquetra, trisulca, apice per angulos parum dehiscens, trivalvis, avellanae nucis magnitudine.

SEMINA subrotundo-triquetra aut polyedra, rubra, receptaculis per angulos internos decurrentibus inserta.

HABITAT in *Peruviae Andium* nemoribus versus *Pillao* vicum.

FLORET Augusto, et Septembri.

Explic. Icon. 1 Pistillum cum staminibus. 2 Capsula aperta. 3 Semina.

ALSTROEMERIA MACROCARPA. ICON. CCXCIV. *Fig. b.*

20. A. caule scandente, foliis oblongo-lanceolatis, umbellâ multiradiatâ, pedunculis bifloris longissimis.

PLANTA herbacea, perennis.

CAULES scandentes, triulnares et ultra, simplicissimi, glabri, teretes.

FOLIA sparsa, petiolata, oblongo-lanceolata, acuta, integerrima, nervosa, striata, palmaria, latitudine pollicari, supra glabra, subtus pubescentia.

PETIOLI contorti, trilineares.

UMBELLA terminalis, radiis à 6 ad 18, involucrata.

Involucrum polyphyllum : foliolis parvis, lanceolato-subulatis.
Pedunculi 2-4pollicares, biflori, rarius triflori, ad basim pedicellorum bracteati : bracteis lanceolato-subulatis.
Corolla rubro-lutescens, pollicaris.
Petala *exteriora* oblongo-cuneiformia : *interiora* spathulata, basi semitubulosa.
Capsula globoso-turbinata, nucis juglandis magnitudine, lutea, trigona, trisulca.
Semina subrotunda, in pulpa lutescente nidulantia.
Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Pillao*.
Floret Junio, et Julio.
Explic. Icon. 1 Pistillum et Stamina.

ALSTROEMERIA cordifolia. Icon. CCXC. *Fig. b.*

21. A. caule scandente, foliis cordatis acuminatis, umbellâ sexradiatâ, pedunculis 2-3floris.
Planta herbacea, perennis.
Caules simplicissimi, scandentes, bi-triulnares, subteretes, glabri, nitidi.
Folia alterna, remota, cordata, oblique acuminata, integerrima, nervosa, striata, supra glabra, nitida, subtus leviter pubescentia, 4pollicaria, latitudine ferè tripollicari.
Petioli spiraliter contorti, trilineares.
Umbella terminalis, involucrata, plerumque sexradiata.
Involucrum foliolis totidem, ovato-lanceolatis, acuminatis, interioribus sensim minoribus.
Pedunculi sexquipalmares, divergentes, 2-3flori, leviter pubescentes : pedicelli bracteis totidem, lanceolatis suffulti.
Corolla pollicaris, rubicundo-lutescens.
Petala *exteriora* oblonga; *interiora* spathulata, basi semitubulosa.
Germen turbinatum, leviter lanuginosum.
Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Pozuzo* viam.
Floret Novembri, et Decembri.
Explic. Icon. 1 Pistillum cum staminibus.

ALSTROEMERIA latifolia. Icon. CCXCV.

22. A. caule volubili, foliis oblongo-ovatis acuminatis, umbellâ multiradiatâ, pedunculis 1-3floris, corollâ rubro-viridi.
Planta herbacea, perennis.
Caules simplicissimi, volubiles, teretes, glabri, nitidi, semipurpurei.
Folia alterna, remota, petiolata, oblongo-ovata, acuminata, integerrima, nervosa, striata, supra glabra, subtus pubescentia, sesquipalmaria, latitudine palmaria.
Petioli spiraliter contorti, trilineares, plani.
Umbella terminalis, multiflora, multiradiata, radiis à 7 ad 14, involucrata.
Involucrum foliolis totidem, lanceolatis, magnis.
Pedunculi 1-3flori, divergentes, palmares, rubri.
Pedicelli bracteâ lanceolatâ, rubrâ stipati, filiformes.
Corolla pollicaris et ultra, rubro-viridis.
Petala *exteriora* lineata, cuneiformia, concava, obtusa, subtus obscurè rubra, supra dilutiora, apice virescentia : *interiora tria* spathulata, viridia, punctis et lineis violaceis variegata, acuminata, basi semitubulosa.
Filamenta subulata, compressiuscula, longitudine ferè petalorum, parum declinata. *Antherae* glauco-caeruleae, ovales.
Capsula subrotunda, hexagona.
Habitat in *Peruviae* collibus, vulgo *Lomas* dictis ad *Atiquipa*.
Floret à Junio ad Augustum.
Explic. Icon. 1 Petalum exterius extus visum. 2 Idem intus conspectum. 3 Petalum interius extus visum. 4 Idem intus aspectum. 5 Stamina. 6 Pistillum.

ALSTROEMERIA formosissima. Icon. CCXCVI.

23. A. caule scandente, foliis lanceolatis longis, umbellâ semiglobosâ, floribus numerosis puniceo-luteis punctatis.
Planta herbacea, perennis.
Caules simplicissimi, scandentes, biorgyales et ultra, sulcati, nitidi, glabri.
Folia sparsa, appropinquata remotioraque, lanceolata, acutissima, integerrima, striata, nervosa, utrinque glabra, tripalmaria, latitudine pollicari.
Petioli semipollicares, plani, spiraliter contorti, furfuracei.
Umbella terminalis, maxima, semiglobosa, simplex, involucrata, multiradiata; radiis à 36-ad 80.
Involucrum foliolis totidem, lanceolatis, intimis sensim minoribus.
Pedunculi bipollicares, angulati, obsoletè lanati, uniflori.
Corolla sesquipollicaris, pulcherrima.
Petala *exteriora* oblongo-obovata, punicea, striata; *interiora* spathulata, acuminata, puniceo-lutea, punctata, basi semitubulosa.
Filamenta lutea, planiuscula, subulata. *Antherae* caeruleae.
Germen turbinatum.
Capsula turbinata, trigona, trisulca.
Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Muña*.
Floret Julio, et Augusto.
Vernacule Sumac-huaita, id est *Flos pulcherrimus*.
Explic. Icon. 1 Stamina. 2 Pistillum.

LAPAGERIA.

CHARACTER GENERICUS.

Cal. nullus.
Cor. hexapetala, campanulata, basi trigona : *Petala*

aequalia, conniventia, supernè patenti-reflexa, oblongo-cuneiformia, acutiuscula, decidua : *tria exteriora* angustiora, sessilia, basi intus concava, extus convexa: *interiora* subunguiculata.

STAM. *Filamenta* sex, subulata, latiuscula, plana, basi petalorum inserta, tria alternantia longiora. *Antherae* erectae, lineari-lanceolatae, basi vix excavatae, quadrisulcae, biloculares, stylo breviores, lateribus longitudinaliter dehiscentes.

PIST. *Germen* superum, oblongum, acutum. *Stylus* filiformis, erectus, petalis brevior. *Stigma* clavatum, obsoletè tristriatum, simplex.

PER. *Bacca* oblongo-ovata, acuminata, obtusè trigona, obsoletè trisulca, unilocularis, polysperma.

SEM. numerosa, nidulantia, obovata, plerumque truncata, laevia, nuda, cornea, receptaculo triplici per parietes decurrenti affixa.

Obs. Genus ex Asparagis *Juss.* Alstroemeriis et Medeolis proximum, sed Callixene et Philesiae Generibus magis, quàm reliquis ejusdem ordinis naturalis affine. Differt à *Callixene* corollâ polypetalâ, petalis eglandulatis ; tribus exterioribus angustioribus, ad basim concavis, extus convexis ; antheris erectis, non versatilibus ; baccâ maximâ, uniloculari, polyspermâ. A *Philesia* discrepat corollâ polypetalâ, petalis longitudine aequalibus ; filamentis distinctis ; antheris erectis non versatilibus ; stigmate simplici, tristriato ; baccâ uniloculari.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla hexapetala, basi trigona. *Petala* aequalia ; tria interiora latiora, subunguiculata. *Filamenta* sex, basi petalorum inserta, alternantia paulò longiora. *Antherae* erectae. *Germen* superum. *Stylus* unicus. *Stigma* clavatum. *Bacca* unilocularis, polysperma. *Semina* numerosa, nidulantia, receptaculo triplici, per parietes decurrenti, affixa.

Genus dicatum *Josephae Lapageriae* Lectissimae feminae, *Napoleonis Bonaparte* uxori dignissimae, Botanices et Naturalis Historiae Fautrici egregiae.

LAPAGERIA ROSEA. ICON. CCXCVII.

L. foliis ovato-lanceolatis quinquenervibus, corollis intus maculatis.

PLANTA fruticosa, glaberrima, biorgyalis et ultra.

RADIX fasciculata, filiformis, longissima, *Smilacis Sarsaparillae* instar.

CAULIS volubilis, ramosissimus, subteres, granulis minimis exasperatus, infernè defoliatus, nodosus, petiolis marcidis, fuscis squamatus.

RAMI diffusi, longissimi, flexuosi, consimiles : *juniores* foliosi.

FOLIA alterna, remota, petiolata, ovato-laceolata ovataque, acuta, integerrima, supra nitida, coriacea, venosissima, utrinque quinquenervia, nervis lateralibus margini appropinquatis, 2-3pollicaria, latitudine subpollicari.

PETIOLI 2-5lineares, contorti, supra canaliculati, subtus striati, ad basim latiores, semiamplexicaules, post foliorum delapsum dilatati, marcescentes, fusci, profundius striati.

PEDUNCULI axillares terminalesque, breves, ut plurimum pollicares, solitarii, uniflori, squamis decem, rubicundis, ovato-lanceolatis, acutis, concavis, semiamplexantibus, membranaceis, sparsis, inferioribus imbricatis, superioribus remotis, nitidis, deciduis vestiti.

FLORES penduli, formosissimi.

COROLLA subbipollicaris, rosea, aliquando roseo-punicea, basi obtusè trigona, intus punctis albis maculata. *Petala* tria exteriora basi purpureo-violacea.

FILAMENTA dilutè rosea. *Antherae* luteae.

BACCA pendula, albido-lutescens, oblongo-ovata ovalisque, laevis, parvi ovi gallinacei magnitudine.

SEMINA luteo-fulvescentia, acinorum uvarum magnitudinis, in pulpâ albâ dulci nidulantia.

HABITAT in *Conceptionis Chilensis Rere* et *Itatae* Provinciarum silvis per arbores et frutices scandens.

FLORET à Februario ad Majum.

VERNACULE Copihue nuncupant Chilenses.

VIRES et USUS : Incolae fructuum pulpam dulcem, gratissimamque comedunt. Radicibus loco Smilacis Sarsaparillae utuntur. Planta ad hortorum ornamentum insigni pulcritudine sua commendatur.

Explic. Icon. 1 Petalum exterius cum stamine. 2 Petalum interius cum stamine. 3 Anthera. 4 Pistillum. 5 Bacca transversim secta. 6 Semina.

LUZURIAGA.

CHARACTER GENERICUS.

CAL. nullus.

COR. *Petala* sex, distincta, lanceolata, acuta, patentia, decidua : *tria exteriora* angustiora : *interiora tria* latiora, obsoletè nervosa.

STAM. *Filamenta* sex, linearia, plana, crassiuscula, brevia, erecta, receptaculo inserta. *Antherae* erectae, sagittatae, tetragonae, conniventes, longae, corollâ breviores, biloculares.

PIST. *Germen* superum, ovatum. *Stylus* filiformis, triqueter, antherarum longitudine. *Stigma* triangulare.

PER. *Bacca* globosa, parum carnosa, trilocularis : *Dissepimentum* membranaceum, tenuissimum.

SEM. duo in singulo loculo, subreniformia, hinc convexa, inde angulata, cornea, angulis dissepimenti internis affixa.

Obs. 1. Semen unum, alterumve saepè abortit.

Obs. 2. Genus ex Asparagorum *Jussiei* ordine, Lapageriae, Callixene et Philesiae Generibus prae ceteris ejusdem ordinis affine.

CHARACTER DIFFERENTIALIS.

Corolla infera: *Petala* sex, distincta, aequalia; tria exteriora angustiora. *Filamenta* sex, receptaculo inserta: *Antherae* erectae, sagittatae. *Germen* unicum: *Stylus* triqueter: *Stigma* triangulare. *Bacca* trilocularis: *Dissepimentum* membranaceum. *Semina* bina.

Genus dicatum *D. Ignatio Mariae Ruiz de Luzuriaga*, Medicinae Doctori scientissimo, Chemiae, Botanices, ceterarumque disciplinarum, quae ad Artis salutaris culmen iter sternunt cognitione apprime instructo.

LUZURIAGA RADICANS. Icon. CCXCVIII.

1. L. caule radicante, foliis lanceolatis obliquis, pedunculis 2-4floris, floribus variegatis.

Planta suffruticosa, glabra, bi-triorgyalis et ultra.

Caulis teres, gracilis, flexuosus, per truncos arborum reptans, geniculatus, ramosissimus, ad genicula vaginatus et radicans: vaginis brevibus, rufescentibus, et radiculis solitariis, flexuosis, simplicibus longis.

Rami divergentes, acute tetragoni, parum flexuosi, tenues, basi biarticulati, bivaginati, ultra basim squamâ amplexicauli: *juniores* solummodo foliosi.

Folia alterna, sessilia, lanceolata, acuminata, obliqua, utrinque 9-13nervia; nervis alternè prominentioribus, integerrima, venoso-reticulata, margine obsoletè scabra, basi leviter contorta, subtus albicantia, ut plurimum pollicaria, latitudine semipollicari.

Pedunculi axillares, solitarii, 2-3-4fidi, 2-3-4flori, articulati, vaginati, foliis breviores, in flore cernui, in fructu erecti.

Petala, *Filamenta* et *Stylus* albido-lutescentia, punctis et lineis rubris variegata.

Antherae luteae, magnae, punctis rubris maculatae.

Bacca rubra, ciceris magnitudine.

Semina albido-lutea.

Habitat in *Regni Chilensis* silvis ad *Coliumo* praedium, et in *Palomares* nemoribus.

Floret Septembri, et Octobri. Fructus perficit Februario.

Vires et Usus: Radices loco *Smilacis Sarsaparillae* adhiberi merentur.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Petalum exterius. 3 Petalum interius. 4 Genitalia in receptaculo cum pedunculo. 5 Stamen auctum intus conspectum. 6 Idem lateraliter visum. 7 Pistillum in pedunculo. 8 Bacca in pedunculo. 9 Eadem transversim secta, loculamenta demonstrans. 10 Semina diversimode aspecta.

AGAVE AMERICANA.

1. A. foliis dentato-spinosis mucronatis glaucis, scapo procero ramoso, racemis recurvato-inflexis.

A. (*americana*) foliis dentato-spinosis, scapo ramoso. Linn. *Sp. pl. t. 2. p. 89.*

A. foliis angustioribus dentato-spinosis, scapo diviso, ramis erectioribus. Miller *plant. figur. p. 148. pl. 222.* *Metl*, seu *Maguey*. Hernandez *Hist. Mexic. edit. Rom. 270. edit. Matrit. vol. 2. p. 251.*

Aloë americana, muricata. Quer *Flor. Españ. tom. 2. p. 247.*

Planta perennis, prolibus plurimis, aggregatis.

Radix caudice crasissimo, basibus foliorum squamato, fibrosissima; fibris fasciculatis, longissimis, flexuosis, calami scriptoris crassitie, epidermide exteriori fuscâ, interiori subviolaceâ, parenchymate albo, sapore viscido haud ingrato.

Scapus erectus, teres, 4-6orgyalis, crassus, vestitus squamis alternis, sublanceolatis, semiamplexicaulibus, inferioribus longioribus approximatis, superioribus remotioribus sensim minoribus, scapo adpressis.

Folia radicalia, sibi invicem incumbentia, lanceolata, canaliculata, laevia, margine dentato-spinosa, glauca, extus colore viridi-glauco variegato insculpta, mucronata, rigida, crassa, sexpedalia et ultra, succosa; *exteriora* reflexa; *intermedia* patentia; *interiora* ante scapi explicationem intimè inter se in conum rectum, acutissimum obvoluta.

Spina foliorum terminalis pollicaris et ultra, recta, subulata, castanei obscuri coloris, spinae foliorum marginales incurvae, ejusdem coloris, trilineares.

Panicula maxima, nutans, composita.

Pedunculi recurvato-inflexi, decompositi, multiflori.

Flores pedicellati, bracteis totidem sublanceolatis stipati.

Corolla luteo-viridis, tubuloso-infundibuliformis. *Tubus* obsoletè hexagonus. *Limbus* sexpartitus: *laciniis* oblongis, obtusis, concavis, erectis, repandis.

Filamenta sex, subulata, leviter compressa, corollâ multò longiora, apice curvata, basi incrassata, tubo inserta. *Antherae* lineares, utrinque sulcatae, versatiles, pollicares, latitudine lineari, luteae.

Germen inferum, turbinatum, hexagonum, angulis alternis prominentioribus, parum curvatum. *Stylus* filiformis, obtusè angulatus, ante pollinis antherarum effusionem corollae longitudine, postea staminibus longior. *Stigma* capitatum, trigonum, per angulos trifidum, incisuris pubescentibus.

Capsula turbinata, obtusè trigona, trisulca, trilocularis, trivalvis, polysperma.

Semina suborbiculata, plana, fusca.

Habitat copiosè in *Peruvia*, praesertim in *Huanuci* Provinciae praeruptis, imis, calidis locis.

Floret toto ferè anno, praecipuè ab Octobri ad Decembrem.

Vernacule Azul Champahra, *Maguey Mexicano*, et *Pita.*

Vires et Usus: Indi Peruviani scapis tecta cooperiunt diu duraturis et à Tinea immunibus, quos etiam ad obturamenta conficienda usurpant. Ex foliis filum extrahunt, et Mexicani liquorem inebriantem *Pulque*, vulgo notis-

simum et usitatissimum, exprimunt; eorum succus ad mellis spissitudinem coctus remedium praebet ad ulcera putrida detergenda valde efficax. Radicum usus, quae absdubio vi diaphoreticâ et diureticâ pollent, adversus luem veneream nostris temporibus in Medicinam inductus est; ad scrophulas etiam tumores et infarctus resolvendos feliciter adhibentur. Gummi quoque ex hac planta copiosè fluit Arabico simillimum. Qui plura velit, consulat, quae Josephus Quer *Flor. Hisp. vol. 2.* ex Francisci Hernandi historia transtulit, vel quae ipse Hernandus loco citato tradit.

Obs. Quamquam foliorum et paniculae figura, subdivisio et directio, in nostra, quam hujus plantae possidemus, pictura magis naturales, quàm in Milleriana icone ostenduntur; attamen cùm reliquae ejusdem plantae partes accuratè in ea exhibeantur, iconem nostram praetermittere opportunum nobis visum fuit.

ALOE PERFOLIATA.

1. A. floribus corymbosis cernuis subcylindricis. LINN. *Sp. plant. t. 2. p. 84.*

HABITAT in *Huanuci*, *Cantae*, *Huarocherí*, et *Tarmae* Provinciis supra tecta et in ruderatis, aliunde translata.

FLORET toto ferè anno.

VULGO: *Zabila.*

POLYANTHES TUBEROSA.

1. P. floribus alternis geminis, radiculis tuberosis, scapo squamoso.

P. (*tuberosa*) floribus alternis. LINN. *Sp. pl. t. 2. p. 76.*

BULBUS ovatus, tunicatus: radiculis tuberosis, longis.

SCAPUS teres, erectus, bipedalis et ultra, squamosus: squamis foliiformibus, superioribus sensim minoribus.

FOLIA ensiformia, leviter striata, basi punctis purpureis maculata, patenti-reflexa.

FLORES alternatim gemini, declinati, spathâ suffulti.

COROLLA candida, fragrantissima. *Tubus* incurvatus.

HABITAT in *Peruviae* et *Regni Chilensis* hortis.

FLORET per totum annum.

VULGO: *Margaritas olorosas*, *Margaritas blancas*, et inter Hispanos *Vara de Jesé.*

Usus: Feminae Peruvianae floribus hujus plantae caput ornant, et in *Mistura* cum aliis floribus adhibent, templorumque altaria decorant.

ANTHERICUM CAERULEUM.

1. A. foliis ensiformibus, paniculâ longissimâ, floribus caeruleis.

Bermudiana caerulea, Phalangii ramosi facie, vulgo *Illcu.* FEUILLE *t. 2. p. 715. plach. 8.*

PLANTA herbacea, glabra.

RADIX fasciculata, fibrillosa, odore Ireos florentinae consimili.

CAULIS teres, nitidus, erectus, bipedalis, gracilis, parum foliosus.

FOLIA *radicalia* disticha, imbricata, striata, nervo per dorsum acutum, bi-tripalmaria, latitudine ut plurimum trilineari: *inferiora* deflexo-patentia; *superiora* erecta: *caulina* duo triave, semiamplexicaulia, remota.

PANICULA terminalis, longissima.

PEDUNCULI bracteis lanceolato-linearibus suffulti, tri-sexflori, longi.

PEDICELLI bracteis totidem, minimis suffulti, uniflori.

COROLLA obscurè caerulea, marcida spiraliter contorta.

PETALA nitida; *tria interiora* latiora; *exteriora* subcarinata.

FILAMENTA subulata, tria alternantia paulo breviora.

CAPSULA turbinata.

HABITAT in *Regni Chilensis* locis umbrosis, praesertim *Conceptionis*, *Sancti Jacobi*, *Itatae*, *Rere* Provinciarum.

FLORET Septembri, et Octobri.

VERNACULE: *Illcu.*

ANTHERICUM COARCTATUM. ICON. CCXCIX. *Fig. a.*

2. A. foliis infernè carinatis medio coarctatis, pedunculis bifido-dichotomis, pedicellis subumbellatis, filamentis ad medium incrassatis.

PLANTA herbacea, glabra, speciosa.

RADIX fasciculato-ramosa, fibrillosa.

CAULES plures, ulnares, erecti, foliosi, geniculati, internodiis angulati, purpurei, compressi.

FOLIA alterna, ensiformia, à basi usque ad medium carinata, in medio coarctata, supernè plana, subtus glauca, striata, subbipedalia, latitudine subpollicari, amplexicaulia, erecto-patula: *floralia* lanceolata, amplexicaulia.

PEDUNCULI axillares, in paniculam diffusam distantes, bifido-dichotomi.

PEDICELLI 4-5, subumbellati, inaequales, filiformes, totidem bracteis subulatis, inaequalibus stipati.

COROLLA violaceo-caerulea, patens, marcescens.

FILAMENTA subulata, medio incrassata. *Antherae* luteae.

CAPSULA pendula, obovata, obtusa, trigona, usque ad medium trivalvis; valvulis septiferis, patulis.

SEMINA ovalia, atra, nitida.

HABITAT in *Peruviae Andium* montibus ad *Tambillo* et *Pillao* tractus.

FLORET Junio, et Julio.

Usus: Haec planta tincturam obscurè croceam immutabilem praestat, ideoque ad artem tinctoriam utilissima.

Explic. Icon. 1 Capsula dehiscens. 2 Semina.

ANTHERICUM ECCREMORRHIZUM. ICON. CCCI. *Fig. b.*

3. A. foliis ensiformibus carinatis, scapo folioso, racemis longis, spathis bi-trifloris.

Planta perennis.
Radix fasciculata, tuberoso-pendula, lanuginosa: *tubera* oblonga; *fibrae* longae, filiformes; *setae* numerosae ad radicis ortum, erectae.
Caulis erectus, sesquipedalis, teres, foliosus.
Folia *radicalia* pedalia et ultra, ensiformia, carinata, repanda, glabra, subtus striata, latitudine pollicari *caulina* semiamplexicaulia, ensiformia.
Racemus longus, multiflorus, spathaceus.
Spathae alternae, semiamplexicaules, lanceolato-subulatae, membranaceae, albicantes, bi-triflorae; ex infima spatha pedunculus multiflorus, imbricatus.
Flores albi aut lutei, pedunculati, cernui.
Antherae luteae, incumbentes, oblongae, basi bifidae.
Habitat in *Peruviae* collibus ad *Chancay* Provinciam.
Floret à Junio ad Augustum.
Obs. Habitus *Asphodeli*, sed squamae nectariferae Linnaei desunt.

ANTHERICUM glaucum.

4. A. racemo longissimo simplici multifloro, pedunculis floriferis patentibus, fructiferis adpressis.

Planta perennis.
Radix tuberosa, fasciculata.
Scapus erectus, teres, nudus.
Folia ensiformia, carinata, divergentia; supra glauca, nitida.
Racemus longissimus, simplex, multiflorus.
Pedunculi in flore patentes, in fructu scapo adpressi.
Petala alba, apice et medio dorsi viridia.
Habitat in *Peruviae Andium* montibus et in *Tarmae* collibus.
Floret Januario, et Februario.

ANTHERICUM plumosum. Icon. CCC. *Fig. b.*

5. A. scapo striato-angulato bi-quadrifloro, petalis interioribus barbato-plumosis.

Planta herbacea, perennis.
Radix fasciculata, tuberosa: *tubera* oblongo-obovata.
Scapus semipedalis, erectus, nudus, simplicissimus, gracilis, striato-angulatus, 2-4florus.
Folia lineari-ensiformia, angusta, carinata.
Flores alterni, spathâ lanceolatâ, membranaceâ stipati.
Petala extus viridia, intus alba; tria interiora barbato-plumosa, exteriora glabra.
Stamina subulata. *Antherae* luteae.
Habitat in *Regni Chilensis* arvis, aridis et ventosis ad *Conceptionis Chile*, *Quillotae* et *Huilquilemu* Provinciarum tractus.
Floret Octobri, et Novembri.

ORNITHOGALUM corymbosum. Icon. CCC. *Fig. a.*

1. O. scapo tereti, floribus corymbosis, corollâ magnâ, germine atro.

Planta perennis.
Bulbus subovatus, tunicatus, prolifer.
Scapus erectus, teres, bipedalis.
Folia radicalia, procumbentia, ensiformia, carinata, parum carnosa, compressa.
Spathae lanceolatae, carinatae, multiflorae, nervosae, longae, amplexicaules.
Flores sub 12decim in corymbum brevem.
Corolla magna, alba: *Petala* patentia, apice reflexa, oblonga, pollicaria; tria exteriora latiora.
Filamenta basi ampla, apice subulato. *Antherae* cordatae, luteae.
Capsula nigra, nitida, subrotundo-trigona.
Habitat in *Peruviae* hortis, copiosè in *Chancay*, *Cercado* et *Huanuci* Provinciis.
Floret toto ferè anno.
Vulgo: *Flor de cuentas.*
Usus: Peruvianae floribus crines pexunt.

CONANTHERA.

character genericus.

Cal. nullus.
Cor. supera: *Petala* sex, aequalia, lanceolata, acuta, retroflexa, marcida spiraliter contorta.
Stam. *Filamenta* sex, brevissima, subulata, basi dilatata, receptaculo inserta. *Antherae* suberectae, longae, subsagittatae, in conum acutum coalitae, apicibus liberis, biloculares, supernè rimâ longitudinali utrinque dehiscentes, post defloration em usque ad medium sejunctae.
Pist. *Germen* inferum, subrotundum. *Stylus* filiformis, longitudine antherarum. *Stigma* capitatum, trigonum.
Per. *Capsula* globosa, trilocularis, trivalvis, corollae vestigio circulari ultra medium notata.
Sem. pauca, subrotunda.
Genus *Conantheram* ab antheris in conum coalitis nominavimus.

CONANTHERA bifolia. Icon. CCCI. *Fig. a.*

1. C. pedunculis bifloris, petalis variegatis, bulbo articulato solido.

Bermudiana (*pulposa*), flore reflexo-caeruleo (vulgo *Illmu*). Feuill. *tom. 3. p. 8. pl. 3.*

Planta perennis, glabra.
Bulbus uniarticulatus, solidus, in cucurbitae lagenariae formam; *radiculae* numerosae, capillares, flexuosae, in orbem per marginem positae.
Scapus semipedalis, erectus, teres, tenuis; squamis quatuor, remotis, amplexicaulibus, membranaceis, ovato-lanceolatis, semivaginantibus, adpressis.
Folia duo, radicalia, lineari-ensiformia, utrinque attenuata.
Flores in racemum brevem, cernui.
Pedunculi quatuor, quinque, alterni, biflori.

Bractea ovata, acuta, semiamplexicaulis, nervosa, membranacea, ad basim pedunculorum et pedicellorum, persistens.

Petala violaceo-caerulea, basi variegata : *tria alternantia*, margine leviter ciliata.

Antherae luteae.

Capsula pisi magnitudine.

Habitat in *Regni Chilensis* collibus ventosis ad *Conceptionis Chile* tractus.

Floret Novembri, et Decembri.

Vernacule Illmu.

Usus : Incolae bulbos hujus plantae coctos incoctosque comedunt.

Obs. Folia ante florum explicationem arescunt.

Explic. Icon. 1 Petalum. 2 Pistillum cum staminibus. 3 Stamina connata. 4 Eadem scissa et expansa. 5 Stamen anticè visum. 6 Idem posticè conspectum. 7 Pistillum. 8 Capsula. 9 Eadem transversim secta. 10 Semina.

ISIDROGALVIA.

CHARACTER GENERICUS.

Cal. *Perianthium* triphyllum : *foliolis* cordatis, acuminatis, parvis ; inferum, persistens.

Cor. *Petala* sex, oblonga, patentia, concava, persistentia ; *tria interiora* angustiora.

Stam. *Filamenta* sex, receptaculo inserta, subulata, aequalia, erecta, corollâ breviora, persistentia. *Antherae* erectae, cordatae, utrinque sulcatae, biloculares, lateribus dehiscentes.

Pist. *Germen* ovatum, superum, obtusè trigonum, trisulcum. *Stylus* vix ullus. *Stigma* tripartitum, laciniis capitatis.

Per. *Capsula* ovata, obtusè trigona, profunde trisulcata, trilocularis, trivalvis ; valvulis cymbaeformibus, marginibus introflexis, seminiferis.

Sem. plurima, sublinearia, lunulata, utrinque acuminata, funiculo umbilicali à basi ad apicem decurrente : *Receptacula* sex, filiformia ; singulum per marginem valvularum singulum à medio ad apicem decurrens, seminiferum, infernè nudum, elasticè defixum.

Obs. Ad hoc Genus referendum est Anthericum calyculatum Linn. *Sp. pl. tom. 2. p. 65.* Anthericum scapo nudo capitato, filamentis glabris Linn. *Fl. Lappon. p. 100. tab. 10. f. 3.*

Genus dicatum *D. Isidoro Galvez*, Expeditionis nostrae Pictori dexterrimo et diligentissimo, qui plures etiam plantarum Florae Peruvianae et Chilensis icones affabre aëre incidit, et comitem laborum et periculorum alacrem, et impavidum nobis se praebuit.

ISIDROGALVIA falcata. Icon. CCCII. *Fig. b.*

1. I. foliis falcatis planis striatis distichis, floribus racemoso-spicatis.

Planta caespitosa, glabra.

Radix fasciculata, fibrosa, flexuosa, tenuis.

Scapus solitarius in singula prole, erectus, teres, gracilis, purpureus, squamis 2-5, remotis, erectis, amplexicaulibus, ovatis, acuminatis.

Folia disticha, linearia, acuta, falcata, plana, striata, à medio ad basim carinata, rigida, inaequalia, marginibus densè ciliata ; *ciliis* minimis, acumine mucronato.

Flores racemoso-spicati, 6-14, alterni, breviter pedicellati, erecti, bracteis totidem ovatis, acuminatis, parvis, persistentibus, semiamplexicaulibus, purpureis stipati.

Calyx in flore viridis, in fructu ferrugineus.

Corolla in flore alba, aut albido-purpurea, in fructu purpureo-ferruginea.

Capsula dilutè purpurea.

Semina paleacei coloris.

Habitat in *Peruviae Andium* montibus altis, frigidis ad *Pillao* vicum.

Floret á Junio ad Augustum.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx patens. 3 Calycis foliolum. 4 Pistillum cum calyce et staminibus. 5 Pistillum. 6 Capsula cum calyce et corolla persistentibus. 7 Capsula. 8 Eadem dehiscens. 9 Capsula aperta, aucta. 10 Capsulae valvula lateraliter conspecta cum duobus receptaculis. 11 Semina. 12 Semen auctum. 13 Receptacula sex à valvulis disjuncta.

SCILLA biflora. Icon. CCCII. *Fig. a.*

1. S. racemo laxo, floribus geminis.

Planta perennis, glabra.

Bulbus subrotundus, tunicatus, radiculis plurimis, fibrosis.

Scapus erectus, teres, tenuis, sesquipedalis.

Folia ensiformia, acuta, striata, procumbentia, pedalia et ultra, latitudine ferè pollicari.

Racemus terminalis, laxus, multiflorus.

Flores gemini, remoti, pedunculati.

Pedunculi erecti, teretes, filiformes, bracteâ sub singulis binis floribus ovatâ, parvâ, acutâ, membranaceâ, marcescente, persistente.

Corolla alba.

Filamenta subulata. *Antherae* incumbentes.

Capsula pisi magnitudine, globosa, acuminata, trisulca.

Habitat in collibus arenosis *Chancay* et *Cercado* Provinciarum.

Floret Junio, et Julio.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Pistillum. 3 Capsula. 4 Eadem dehiscens. 5 Semina.

HERRERIA. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. p. 48.* Icon. XXXV.

HERRERIA stellata. Icon. CCCIII. *Fig. a.*

1. H. caule volubili aculeato, foliis radiatis lineari-ensiformibus.

Salsa foliis radiatis, floribus subluteis. Feuill. *tom. 2. p. 716. pl. 7.*

Planta frutescens, arundinacea, glabra.

Radix fibrosa, longissima.

Caulis volubilis, teres, aculeatus, ramosissimus.

Rami juniores inermes, teretes, contorti.

Aculei recurvi.

Folia fasciculata, 6-9 ex eodem puncto in stellae formam, lineari-ensiformia, inaequalia, utrinque striata, obliqua, mucronata, palmaria et ultra, latitudine sesquilineari.

Squama parva, orbiculata, undique mucronata, ad basim singuli foliorum fasciculi, castanei coloris.

Pedunculi è centro foliorum, solitarii, aliquando bini terniue, longissimi, racemosi.

Racemi simplices, rarius divisi, infernè foliosi.

Pedicelli terni quaternive, uniflori, bracteolâ trifidâ cartilagineâ suffulti, tenues.

Corolla lutescens, odora.

Capsula pendula, valvulis medio septiferis.

Semina atra, plana, nitida, septis intermediis affixa.

Habitat in *Regni Chilensis* silvis prope *Conceptionis* urbem, et in *Rere*, *Itatae*, *Cauquenes* et *Arauco* Provinciis.

Floret Februario, et Martio.

Vernacule Quila; vulgo *Salsaparrilla*, et *Zarzaparrilla.*

Usus: Incolae radicibus ad eosdem usus ac *Smilace Sarsaparilla* utuntur.

Obs. In Prodromi Charactere generico adde *valvulas* septiferas, *Semina* septis intermediis affixa.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Pistillum. 3 Capsula. 4 Eadem aperta semina ostendens. 5 Semina.

HELICONIA. Linn. *Gen. pl. p.* 158. *n.* 403.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Flores in spicam disticham, plurimis spathis alternis multifloris compositam.

Cal. *Spathae communes* alternae, distantes, magnae, cymbaeformes, acutae, amplexicaules, continentes flores plures hermaphroditos, decumbentes, duplici serie imbricatos, totidem spathis partialibus distinctos.

Perianthium nullum.

Cor. supera, (subpapilionacea) bilabiata: *Labium inferius* integrum, canaliculatum, recurvum: *Labium superius* falcatum, cymbaeforme, quinquepartitum: *laciniis* lanceolatis: *duabus lateralibus* latioribus, usque ad basim ferè liberis, interiores amplexantibus: *interioribus* ultra medium sibi invicem adpressis.

Stam. *Filamenta* sex, quorum quinque fertilia, subulata, compressa, incurva, basi labii superioris inserta. *Antherae* erectae, lineares, biloculares.

Filamentum sextum sterile, breve, lingulatum, acuminatum, basi labii inferioris corollae insertum.

Pist. *Germen* inferum, turbinatum, trigonum. *Stylus* subulatus, acute trigonus. *Stigma* truncatum, triquetrum, tristriatum.

Per. *Drupa* turbinata, truncata, trigona, carnosa, trilocularis, trisperma.

Sem. *Nuces* tres, testâ consistentiae lapideae, obovatae, hinc planae, inde convexae, rugosae, ad basim, umbilicali funiculo avulso, perforatae. *Nuclei* ejusdem figurae, farinacei.

Obs. 1. Cùm Pericarpium extus sit carnosum, evalve, et praeterea nuces tres includat; Drupam trispermam diximus. Minimè autem Capsula dici debet, uti Linn. et Ant. Jussieus scripserunt.

Obs. 2. Etsi *Heliconiae* Genus Linnaeus in pentandria collocaverit; opportunius nobis visum est, illud hexandriae inserere, quòd stamina sex ferat, quamquam sextum sit sterile: quam opinionem amplexus quoque videtur Schreberus, qui post *Heliconiae* genericum Characterem naturalem haec addit ¿*Anne in hexandriam transferenda*?

HELICONIA subulata. Icon. CCCIII. *Fig. b.*

1. H. spicis rubris, spathis horizontalibus lanceolato-subulatis longissimis.

Planta perennis, glabra, biulnaris et ultra.

Radix fasciculata, fibrosa, lanuginosa.

Gemmae radicales, 2-4, rubrae, acutae.

Culmi pauci, aut solitarii, erecti, teretes, spicâ terminati, supernè nudi, nitidi.

Folia alterna, ut plurimum quinque in singulo culmo, oblonga, acuminata, subtripedalia, latitudine bipalmari, integerrima, nitida, utrinque densè nervosa, nervis subhorizontalibus, inflexis, aliis prominentioribus; nervo centrali, longitudinali, supra canaliculato, subtus elevato, plana, tenuia, membranacea, basi inaequalia.

Petioli foliis longiores, culmum undique vaginantes, sibi invicem incumbentes, à basi usque ad apicem ferè convoluti, striati, apice teretes, internè sulcati, recurvi.

Spica pedalis, in flore cernua, in fructu dependens, rubra, flexuosa, composita spathis 6-9, multifloris, alternis, distantibus.

Spathae *communes* longissimae, angustae, lanceolato-subulatae, cymbaeformes, in flore luteae, apice sanguineae, incurvae; in fructu horizontales, amplexicaules, puniceae.

Flores in singula spatha communi 16-33, totidem spathis partialibus, membranaceis, ejusdem longitudinis, marcescentibus, lanceolatis, canaliculatis distincti, duplici serie digesti, pedicellati, ante explicationem decumbentes, imbricati, postea sensim sese erigentes.

Pedicelli breves, angulati, infernè attenuati, inaequales.

Corolla lutea: *Petalum superius* profunde quinquefidum.

Drupa turbinata, truncata, punicea, trisperma, ciceris magnitudine.

Nuces cinerei coloris.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Chinchao*, *Cuchero*, *Chacahuassi* et *Pozuzo* tractus, locis umbrosis et subhumidis, et ad *Iscutunam*.

Floret Augusto, Septembri et Octobri.

Vernacule Puca-Kcaqui.

Explic. Icon. 1 Spatha partialis. 2 Corollae labium inferius à superiori sejunctum cum stamine sterili. 3 Corollae labium superius cum staminibus fertilibus. 4 Pistillum. 5 Drupa. 6 Semina obversa, postice visa. 7 Semen antice conspectum.

HELICONIA lingulata. Icon. CCCIV.

2. H. spicis luteo-puniceis, spathis inflexis linguaeformibus longis.

Planta perennis, glabra, triulnaris.

Radix fasciculata, fibrosa.

Culmi plures, erecti, teretes, spicâ terminati, maculis sanguineis notati.

Folia alterna, oblonga, acuminata, 1-3pedalia, latitudine bipalmaria, basi inaequalia, excavata, acumine contorto, utrinque nervosa, nervis subhorizontalibus, inflexis, nonnullis prominentioribus, nervo medio longitudinali supra canaliculato, subtus elevato, plana, membranacea.

Petioli foliis longiores, culmum undique vaginantes, sibi invicem incumbentes, striati, à basi usque ad apicem ferè convoluti, supernè teretes, recurvi, leviter sulcati.

Spica terminalis, oblonga, cernua, disticha, flexuosa, composita spathis 12-20, multifloris, alternis, distantibus.

Spathae *communes* longissimae, linguaeformes, ad basim concavae, incurvae, coriaceae, luteae, supernè puniceae; *inferiores* quadripalmares, reliquae gradatim breviores.

Flores in singula spatha 12-16, totidem spathis partialibus, membraceis, ejusdem longitudinis, lanceolatis, canaliculatis, marcescentibus distincti, pedicellati, duplici serie imbricatim inserti, ante explicationem decumbentes, postea sensim sese erigentes.

Pedicelli pollicares, angulati, infernè attenuati, inaequales.

Corolla lutea.

Drupa caerulea, carnosa, turbinata, truncata, trisperma, avellanae nucis magnitudine.

Nuces leucophaei coloris.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Chinchao* et *Cuchero* tractus.

Floret Augusto, et Septembri.

Vernacule Purum-Kcaqui, et *Purum-Kcaque.*

Explic. Icon. 1 Flos integer cum spatha partiali. 2 Pistillum et stamina cum parte dimidia corollae, ut insertio staminum conspiciatur. 3 Pistillum. 4 Drupa. 5 Semina postice visa. 6 Semen antice conspectum.

HELICONIA rostrata. Icon. CCCV.

3. H. spicis tricoloribus, spathis retroflexis rostratis brevibus.

Planta perennis, glabra, novempedalis.

Radix fasciculata, fibrosa.

Culmi plures, erecti, teretes; spicâ terminati, supernè punicei.

Folia alterna, oblonga, acuminata, integerrima, utrinque nitida, basi inaequalia, bipedalia et ultra, plana, membranacea, utrinque nervosa; nervis horizontalibus, inflexis; nonnullis prominentioribus, nervo medio longitudinali supra canaliculato, subtus elevato.

Petioli longitudine foliorum, culmum undique vaginantes, sibi invicem incumbentes, supernè teretes, antice sulcati, purpurascentes, variegati.

Spica terminalis, solitaria, plana, disticha, praecedentibus magis flexuosa, disticha, composita spathis plerumque 18, alternis, imbricatis, tandem recurvis, sejunctis, rachi hispido-scabrâ, puniceâ.

Spathae communes cymbaeformes, ovatae, acuminatae, rostrum psittaci aemulantes, coriaceae, coccineae, margine virides, ad medium luteae.

Flores in singula spatha 18, totidem spathis partialibus, membranaceis, albidis, basi rubris, extus villosis, lanceolatis distincti, pedunculati, duplici serie imbricatim dispositi, intra spathas inclusi, decumbentes, postea sensim sese erigentes.

Pedicelli in fructu pollicares, angulati, parum exserti.

Corolla lutea: *labium inferius* superiore paulo longius: *laciniae* exteriores labii superioris interioribus paulo breviores.

Habitat in *Peruviae Andium* nemoribus ad *Pillao*, *Cuchero*, *Chinchao*, *Panao*, *Muña* et *Pozuzo*.

Floret ab Augusto ad Decembrem.

Vernacule Kcaqui, et *Kcaque*, (id est *Mandibula*).

Usus: *Feminae* templa et simulacra hujus Speciei et praecedentium spicis, quae amputatae per 40 dies immarcescentes permanent, frequenter ornant.

Obs. 1. Folia trium Heliconiae Specierum ita similia sunt, ut dificillime ex illis differentia ulla specifica elici possit, ideoque Characterem specificum ex spicis depromsimus.

Obs. 2. Iconis hujus Speciei figuram triplò minorem ac naturalem dedimus, et in duabus Speciebus praecedentibus foliorum figuram imminutam etiam exhibuimus.

Explic. Icon. 1 Spatha communis magnitudine naturali. 2 Flos integer cum spatha partiali subjecta. 3 Corollae labium inferius à superiore labio sejunctum cum stamine sterili. 4 Stamen sterile. 5 Corollae labium superius cum staminibus. 6 Pistillum. 7 Drupa. 8 Eadem transversim secta. 9 Semina postice visa. 10 Semen antice conspectum.

TRIGYNIA.

TRIGLOCHIN ciliatum.

1. T. capsulis ovatis trigonis trilocularibus, culmo apice contorto, spicâ compositâ.

Radix fibrosa.

Culmus pedalis, erectus, teres, apice contortus.

Folia in singulo culmo quatuor, alterna, usque ad medium vaginantia, subulata, margine ciliatâ, retrorsumque scabrâ, ciliis mitibus, albis.

Spica longa, composita.

Pedunculi multiflori, bracteâ lanceolatâ, ciliatâ, purpureâ, persistente suffulti.

Flores aggregati, sessiles, bracteis duabus, ovatis, ciliatis, membranaceis, persistentibus, calyce duplò brevioribus stipati.

Calycis *Foliola* ovata, acuta, concava, purpurea, persistentia.

Petala calycis foliolis consimilia.

Filamenta sex, brevissima. *Antherae* oblongae, corollâ breviores.

Germen trigonum. *Stylus* vix ullus. *Stigmata* tria, parum plumosa, reflexa.

Capsula ovata, trigona, obtusa, trilocularis, trivalvis.

Semina solitaria, oblonga, nitida.

Habitat in *Peruviae* collibus frigidis ad *Tarmae* oppidi tractus.

Floret Januario, et Februario.

TRIGLOCHIN striatum.

2. T. capsulis subrotundis trigonis trilocularibus, scapo nudo striato, spicâ simplici coarctatâ.

Planta glabra, aquatica, ad basim prolibus quatuor aut pluribus.

Radix fusiformis, fibris numerosis, capillaribus, longissimis, albis obsita.

Scapi tres aut plures è singula radice, ut plurimum 4palmares, filiformes, striati, erecti, nudi.

Folia radicalia, 3-4 ad basim singuli scapi, linearia, acuta, striato-nervosa, scapi longitudine, latitudine semilinearia, infernè canaliculata, sese invicem amplexantia.

Spica subpalmaris, cylindrica, erecta, multiflora, simplicissima, coarctata.

Flores numerosi, conferti, breviter pedicellati.

Capsula subrotunda, sulcata, vix seminis Anisi magnitudine, stigmatibus tribus coronata, trigona, trisperma, tripartibilis.

Habitat in *Peruviae* lacubus et inundatis ad *Surco*, *Miraflores*, *Lurigancho*, *Magdalena* et *Limae* tractus.

Floret Januario, et Februario.

Obs. Icones harum duarum specierum in navis Divi Petri Alcantarensis amisimus.

RUMEX. Linn. *Gen. pl. p.* 238.

RUMEX crispus.

1. R. floribus hermaphroditis : valvulis integris graniferis, foliis lanceolatis undulatis acutis. Linn. *Sp. pl. p.* 115.

Radix fusiformis, crassa, flavescens.

Caules solitarii aut plures, simplices, erecti, bipedales, teretes, striati, plerumque purpurascentes.

Folia lanceolata, undulata, crispa, saepè purpureo colore maculata : *radicalia* longè petiolata, erecto-patentia, subbipedalia : *caulina* alterna, erecta, petiolata, radicalibus acutiora.

Petioli teretes, striati, basi utrinque alati.

Vaginae breves, membranaceae.

Racemus terminalis, longissimus, foliosus, plurimis racemis partialibus, axillaribus compositus.

Flores ad genicula verticillatim congesti, cernui.

Pedicelli, breves, tenuissimi.

Petala viridia, in fructu extus granulifera, et obsoletè crenato-denticulata.

Habitat in *Peruviani* et *Chilensis Regni* cultis, versuris, inundatis et humidis.

Floret ferè toto anno.

Vulgo in Peruvia *Lengua de Vaca* et *Acelgas*, in Chile *Gualtata* vernacule appellatur.

Vires et Usus : Incolae infusione et decocto adversus scabiem, aliosque humores cutaneos repellendos assiduè utuntur : praeterea plantam contusam ad corporis partes affectas fricandas usurpant. Tandem folia in acetariis coctis comedunt.

CLASSIS VII.

HEPTANDRIA MONOGYNIA.

TOVARIA. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. p.* 49. Icon. VIII.

TOVARIA pendula. Icon. CCCVI.

1. T. foliis ternatis, racemis longissimis dependentibus, floribus secundis.

Planta herbacea, biulnaris, glabra, biennis.

Caulis erectus, teres, ramosus.

Rami patentes, infernè teretes, supernè angulosi.

Folia alterna, remota, petiolata, ternata, erecto-patentia: *foliola* 2-3pollicaria, lanceolata, acuta, acumine obliquo, integerrima, margine leviter pubescentia, villis caducis, supra nitida, nervo prominente, acuto, subtus tenuissimè venosa, venis inflexis inaequalibus: intermedium majus; lateralia parum obliqua.

Petioli bipollicares, supra sulcati.

Stipulae minimae, acutae, sphacelatae, caducae.

Racemi terminales, longissimi, simplices, in flore declinati, in fructu dependentes.

Flores sparsi, longè pedicellati, bracteis lanceolato-subulatis, deciduis stipati.

Pedicelli tenues, filiformes, in flore recti, in fructu recurvati.

Calyx dilutè viridis.

Petala basi villosa, albido-lutescentia.

Nectarii *Discus* viridis.

Filamenta pubescentia. *Antherae* luteae.

Baccae dependentes, secundae, stylo stigmateque terminatae, ciceris magnitudine, pulpâ albâ viscosâ.

Semina obscurè fulvescentia.

Habitat in *Peruviae* runcationibus fluminumque ripis inter *Chinchao* et *Pati*, et circa *Chacahuassi* copiosè.

Floret Augusto, Septembri et Octobri.

Obs. Numerus frequentissimus in calyce, corollâ staminibusque septenarius, saepè octonarius: in stigmate septenarius, aliquando senarius.

Explic. Icon. 1 Calyx heptaphyllus. 2 Idem octophyllus. 3 Petala. 4 Stamina. 5. Pistillum cum disco nectarifero. 6 Bacca. 7 Semina.

ACTINOPHYLLUM. *Gen. pl. Flor. Per. et Chil. pag.* 51. Icon. VIII. *Sciodaphyllum* Brown. *pag.* 190. *Tab.* 19. *fig.* 1. 2.

ACTINOPHYLLUM angulatum Icon. CCCVII.

1. A foliolis 7-11, racemis solitariis geminisque, corollis obovatis angulatis truncatis.

Arbor quadriorgyalis et ultra, spectabilis.

Truncus erectus, teres, supernè ramosus, cicatricibus anularibus.

Rami erecto-patentes, teretes, granulosi, summitatibus foliosi, medullosi.

Gemmae axillares, acutae.

Folia alterna, longe petiolata: *foliolis* radiatim positis, subpedalibus, latitudine tripollicaribus, petiolatis, oblongis, acuminatis, basi excavatis, integerrimis; supra nitidis, viridibus, nervo prominente; subtus pulverulento-lanuginosis, ferrugineo-lutescentibus; rugosiusculis, à decima hora matutina usque ad noctem dependentibus, carinatis, venosis; venis ferè horizontalibus, reticulatis.

Petioli *communes* teretes, foliolis longiores, striati, aliquando granulosi: *partiales* pollicares, antice sulcati, basi apiceque incrassati.

Stipulae solitariae, spathaeformes, semilanceolatae, amplexicaules, petiolo adnatae, extus granulosae, obscurè purpureae, persistentes, sesquipollicares.

Racemi solitarii geminique, terminales, erecti, teretes, granulosi, pedales.

Pedunculi bracteis ovatis, parvis suffulti.

Flores in capitula globosa aggregati, sessiles, bracteolis tribus, minimis distincti: *Capitula* saepius 5-7-9 in singulo racemo, rarius 6-8-10, distantia, oblonga, magnitudine ferè ovi gallinacei, in flore lutescentia, in fructu atro-purpurea.

Receptacula florum favosa.

Corolla oblonga, angulata, utrinque truncata, elasticè dissiliens.

Stamina communiter 8, rarius 7-9.

Styli 4-5-6, rarissimè 7.

Baccae purpureo-nigrae, cuneiformes, angulatae, 4-5-6-loculares, rarissimè 7loculares, stylis coronatae.

Semina solitaria, oblonga, semiossea.

Habitat in *Peruviae* collibus nemorosis frigidis *Muña*, *Chaclla* et *Pillao*.

Floret à Julio ad Octobrem.

Obs. Gummi crystallinum in aqua totum solubile ex hac planta profluit.

Explic. Icon. 1 Flos integer clausus. 2 Idem apertus. 3 Corolla. 4 Pistillum cum staminibus. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Bacca. 8 Eadem transversim secta. 9 Semina.

ACTINOPHYLLUM pedicellatum. Icon. CCCVIII.

2. A. foliolis 9-13, racemis septenis, floribus pedicellatis umbellatis, corollis hemisphaericis.

Frutex scandens, radicans.

Caulis teres, ramosus, medullosus, cicatricibus anularibus.

Rami expansi, teretes, granulosi, granulis oblongis, supernè foliosi, purpurascentes.

Gemmae axillares, acutae.

Folia alterna, longe petiolata: *foliolis* 9-13, radiatim positis, patentibus, planis, undulato-repandis, oblongis, acuminatis, basi leviter excavatis, integerrimis, utrinque glabris, bipalmaribus, latitudine vix sesquipollicaribus.

Petioli *communes* teretes, obscurè purpurei, apice lanuginosi, supernè infernèque incrassati: *partiales* supra sulcati, lateribus complanati, ut plurimum sesquipollicares, subtus hirsuti, purpurei, basi apiceque crassiores.

Stipulae spathaeformes, solitariae, semilanceolatae, petiolo adnatae, extus granulosae, purpurascentes, pollicares.

Racemi terminales, aggregati, septeni, sesquipedales, patentes, compositi, purpurei.

Pedunculi sparsi, breves, 7-13flori.

Flores parvi, breviter pedicellati, umbellati, involucrati.

Involucrum squamis totidem, minimis, ovatis, ciliatis.

Corolla purpurea, parva, hemisphaerica, in erectione staminum dissiliens.

Filamenta 7, rarius 6, purpurea.

Styli septem, rarius sex.

Bacca globoso-angulata, viridi-purpurea, stylis coronata.

Semina solitaria, oblonga, extus gibba.

Habitat in *Peruviae* nemoribus ad *Muña* tractus.

Floret Augusto ad Novembrem.

Obs. 1. Nonnunquam in quibusdam foliis foliola quatuordecim, aliquando octo, aut pauciora offendimus.

Obs. 2. Ex axillis ramorum, petiolorum et pedunculorum Gummi crystallinum manat.

Explic. Icon. 1 Flos integer clausus. 2 Idem apertus. 3 Corolla. 4 Pistillum parum auctum. 5 Bacca. 6 Eadem transversim secta, loculamenta ostendens. 7 Semina.

ACTINOPHYLLUM conicum. Icon. CCCIX.

3. A. foliolis 7-13, racemis ternis binisque, corollis conicis.

Frutex scandens, radicans.

Caulis teres, granulosus, ramosus, cicatricibus anularibus.

Rami in summitatibus foliosi, teretes, granulosi, medullosi, subviolacei.

Folia alterna, patentia, longe petiolata: *foliolis* 7-13 radiatim positis, petiolatis, oblongis, acumine obliquo, integerrimis, glabris, subtus nitidis, ut plurimum pedalibus, latitudine palmaribus, coriaceis, venosis, reticulatis.

Petioli *communes* foliolis paulò longiores, teretes, basi apiceque incrassati, granulati, rubescentes: *partiales* pollicares, lateribus compressi, apice basique crassiores, supra sulcati.

Stipulae solitariae, amplexicaules, petiolo adnatae, spathaeformes, semilanceolatae, rubicundae, pollicares et ultra.

Racemi terni, saepè duo, pedales et ultra, erecti, plurimis capitulis pedunculatis compositi, tomentosi, tomento albo deciduo.

Pedunculi bracteis minimis, ovatis, acutis suffulti.

Flores ferè 14decim in singulo capitulo, sessiles, squamis distincti.

Corolla parva, conica, obtusa, albido-rubescens.

Stamina rarius septem, communiter novem, nonnunquam 8-10-11, quorum numerus sequitur numerum stigmatum et seminum.

Bacca globosa, hyacinthina, nitida, pisi magnitudinis.

Semina oblongo-reniformia, gibba, compressa.

Habitat in *Peruviae* nemoribus, *Pillao* ad *Iscutunam* et *Chacahuassi*.

Floret Augusto, Septembri et Octobri.

Obs. Foliola plerumque à 7 ad 10, rarius plura aut pauciora invenimus.

Explic. Icon. 1 Flos clausus. 2 Corolla. 3 Calyx, Stamina et Pistillum. 4 Pistillum calyce marginali coronatum. 5 Bacca. 6 Eadem transversim secta. 7 Eadem valde aucta, ut loculamenta luculenter conspiciantur. 8 Semina.

ACTINOPHYLLUM acuminatum Icon. CCCX.

4. A. foliolis 7-11, racemis 2-5nis, corollis acuminatis acumine obliquo.

Frutex scandens, radicans.

Caulis teres, granulosus, cinereus, ramosus.

Rami diffusi, in summitatibus foliosi, teretes, granulosi, medullosi.

Folia alterna, longe petiolata, patentia: *foliolis* 9-11 radiatim positis, patentibus, petiolatis, oblongis, acumine parum obliquo, integerrimis, utrinque glabris, coriaceis; nonnullis basi excavatis, interioribus gradatim longioribus, venosis, reticulatis; venis communibus horizontali-inflexis.

Petioli *communes* teretes, apice basique incrassati, foliolis paulò longiores: *partiales* bipollicares, lateribus compressi.

Stipulae amplexicaules, solitariae, petiolo adnatae, spathaeformes, semilanceolatae, pollicares et ultra.

Racemi 2-5ni, tomentosi, incani.

Pedunculi sparsi, bracteis ovatis, parvis suffulti, vix trilineares.

Flores in capitula globosa collecti, sessiles, albido-lutei, totidem squamis minimis, membranaceis, ovatis distincti.

Receptaculum florum favosum, hirsutum.

Corolla hemisphaerica, acumine minimo, declinato, lutea.
Stamina frequentius octo; rarius sex, septem.
Styli quinque, nonnunquam eorum numerus sequitur staminum numerum.
Baccae saepè quinqueloculares, aliquando 6-7-8loculares, angulatae.
Semina totidem, oblongo-obovata.
Habitat in *Peruviae* nemoribus *Muña*.
Floret Augusto, et Septembri.
Obs. Gummi crystallinum in aqua omnino solubile ex axillis foliorum et pedunculorum profluit.
Explic. Icon. 1 Flos clausus. 2 Corolla. 3 Calyx, Stamina et Pistillum. 4 Pistillum calyce coronatum. 5 Bacca. 6 Eadem transversim secta. 7 Semina.

ACTINOPHYLLUM pentandrum. Icon. CCCXI.

5. A. foliis 7-11, racemis solitariis ternisque, corollis conicis obtusis.
Frutex erectus, triorgyalis et ultra.
Caulis ramosus, teres.
Rami teretes, medullosi, in summitatibus foliosi.
Folia alterna, longe petiolata: *foliolis* 7-11, radiatim positis, gradatim majoribus, oblongis, acumine subulato, pollicari, obliquo, integerrimis, venosissimis, coriaceis; subtus lanuginosis, lanugine ferrugineâ, lente vitreâ conspectâ in stellulas dispositâ; supra glabris, margine acuto, cartilagineo, reflexo: venis majoribus horizontali-inflexis; sesquipedalibus, latitudine bipalmaribus.
Petioli *communes* teretes, basi apiceque incrassati, longitudine foliorum: *partiales* supra sulcati, lateribus compressiusculi, bi-tripollicares, basi apiceque crassiores.
Stipulae solitariae, petiolo adnatae, amplexicaules, spathaeformes, semilanceolatae, pollicares et ultra.
Racemi terminales, longissimi, solitarii ternique, lanuginosi, helvoli.
Flores in capitula globosa, sessiles, squamis tribus, membranaceis, obovatis singuli distincti.
Receptaculum *florum* favosum, hirsutum.
Corolla conica, obtusa, angulata, albido-purpurascens.
Antherae incumbentes, luteae.
Bacca obovata, pentagona, albicans.
Habitat in *Peruviae* nemoribus versus *Chinchao* et *Cuchero* vicos.
Floret Julio, et Augusto.
Obs. Staminum, stylorum et seminum numerum semper quinarium offendimus.
Explic. Icon. 1 Flos clausus cum tribus squamis ad basim. 2 Corolla. 3 Calyx, Stamina et Pistillum. 4 Pistillum cum squamis tribus. 5 Bacca. 6 Eadem transversim secta. 7 Semina.

GILIBERTIA. *Gen. pl. Fl. Per. et Chil. p.* 50. Icon. VIII.

GILIBERTIA umbellata. Icon. CCCXII.

1. G. foliis oblongis obsoletè denticulatis.
Arbor triginta ulnaris, glabra.
Truncus erectus, comâ frondosâ.
Rami teretes, medullosi, lutescentes.
Folia sparsa, petiolata, oblonga, acuta acuminataque, denticulis paucis minimis distantibus, supra nitida, subtus venosa, venis alternis majoribus; inferioribus duabus prope basim coadunatis; partialibus subtus reticulatis; bipalmaria et ultra, latitudine sesquipalmari.
Petioli apice basique incrassati, supra sulcati.
Pedunculi terminales, umbellati, basi squamis ovatis, imbricatis, rubris tecti.
Umbella *communis* involucrata, multiradiata; *radio centrali* longiori, angulato, enodi, incrassato, praecociori; *reliquis* compressis, medio articulatis; articulationibus squamis duabus, parvis, connatis cinctis: *partialis* 8-20flora, involucrata.
Involucrum commune et partiale foliolis totidem brevibus, ovatis, rubris.
Flores pedicellati, divergentes.
Calyx septemdentatus, nonnunquam 8-9dentatus.
Petala totidem, albido-virescentia.
Bacca cerasi magnitudine, viridi-lutescens.
Semina rubentia, numerosa, minima.
Habitat in *Peruviae* nemoribus *Muña*.
Floret Augusto, et Septembri.
Obs. 1. Baccarum et corticum odor et sapor *Foeniculo* non absimiles; baccarum autem sapor ad *Macis* saporem potius accedit, et leniter acri-amarus est.
Obs. 2. Numerus fructificationis partium communis septenarius, aliquando 8-9narius.
Obs. 3. Genus ex Araliis, Polysciae Generi Forsterii affine, sed ab illo recedit, primùm calycis structurâ et insertione, antherarum et seminum figurâ, loculis pericarpii in stellae formam digestis, et tandem foliis simplicibus.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx germen coronans. 3 Petala supra subtusque conspecta. 4 Stamina anticè et posticè visa. 5 Pistillum calyce coronatum. 6 Bacca. 7 Eadem transversim secta, ut loculamenta conspiciantur. 8 Semina.

CLASSIS VIII.

OCTANDRIA MONOGYNIA.

TROPAEOLUM majus.

1. T. foliis subquinquelobis peltatis obtusis. Linn. *Sp. plant. 144.*

Cardamindum ampliori folio, et majori flore. Feuill. *Peruv. tom. 3. p. 14. pl. 8.*

Planta herbacea, annua, glabra, 3-4pedalis.

Radix ramosa, fibrillosa, albida.

Caulis teres, nitidus, ramosus, supernè crassior, carnosus.

Rami consimiles, flexuosi, volubiles.

Folia alterna, longe petiolata, peltata, suborbiculata, basi truncata, 5-9lobata: *lobis* rotundatis, parum exsertis, saepè obsoletis; intermedio acuminato, 8-10nervia; *nervis tribus brevioribus* obsoletioribus.

Petioli 1-3palmares, flexuosi volubilesque.

Stipulae minimae, caducae.

Pedunculi axillares, solitarii, teretes, uniflori, foliis longiores, flexuosi.

Flores odorati, pollicares et ultra.

Calyx fulvo-luteus; calcari longo, subulato, recurvo.

Petala glabra, luteo-fulva.

Habitat copiosè in *Peruvia* ad margines rivulorum *Limae*, *Chancay* et *Huanuci* Provinciarum. Colitur ornatûs gratia in Hispaniae hortis.

Floret toto anno.

Vulgo: *Mastuerzo indiano*, et *Capuchina.*

Usus: Incolae adversus scorbutum foliis frequenter utuntur. Nonnulli in acetariis incoctis flores saporis gratia miscent; et tandem ex floribus inapertis salsamenta conficiunt.

TROPAEOLUM peregrinum.

2. T. foliis peltatis palmato-quinquelobis basi excavatis, petalis inferioribus ciliatis, superioribus incisis maximis.

T. (*peregrinum*) foliis subpeltatis quinquelobis dentatis, petalis ciliato-laceris. Linn. *Sp. plant. p. 145.*

Cardamindum quinquefolii folio, vulgo *Malla*. Feuill. *tom. 2. p. 756. pl. 42.*

Planta herbacea, annua, glabra, ut plurimum quadriulnaris, scandenti-volubilis.

Radix ramoso-fibrosa, extus fusci coloris.

Caulis teres, ramosus, laevis, tenerrimus, succosus, fragilis.

Rami consimiles, longissimi, graciles, flexuosi.

Folia alterna, remota, longe petiolata, peltata, palmata, tenuia, basi excavata, latitudine et longitudine bipollicaria, quinquenervia, nervis utrinque venosis; quinqueloba, *lobis* obovato-oblongis, integerrimis, cum parvo acumine, intermedio majori: nonnulla subseptemloba, aut potius lobis intimis, bifidis.

Petioli 2-3pollicares, teretes, spiraliter contorti.

Stipulae obsoletae, lente vitreâ tantùm manifestae.

Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, bipollicares et ultra, incurvi recurvique, teretes.

Calyx lutescens, laciniis oblongo-ovatis, patenti-reflexis, calcare conico, brevi, revoluto.

Petala luteo-sulphurea; *tria inferiora* calyce breviora, oblonga, ciliata; *superiora duo* magna, extrorsum divergentia, subcuneiformia, supernè inaequaliter incisa, unguiculata, unguibus punctis rubris maculatis.

Stamina lutea.

Fructus trigonus, compositus drupis tribus connatis, extus convexis, intus angulato-planis.

Habitat copiosè in hortis *Limae*, *Chancay* et *Huanuci* Provinciarum.

Floret à Junio ad Octobrem.

Vulgo: *Paxaritos amarillos*. P. Feuill. refert hanc ipsam plantam à Peruvianis *Malla* nominari.

Usus: Ad fenestrarum et hortorum ornamentum in Peruvia colitur.

Obs. 1. Hujus plantae iconem nostram, quàm Feuillei praestantiorem possidemus, sed in hoc Volumine non adjicimus, quòd ipsa Species in Europae hortis et caldariis laetè vegetat.

Obs. 2. Folia in Peruvia minimè dentata.

TROPAEOLUM bicolorum. Icon. CCCXIII. *Fig. a.*

3. T. foliis peltatis septemlobis basi transversim truncatis, petalis inciso-ciliatis.

Planta herbacea, glabra, scandenti-volubilis, subtriulnaris.

Caulis ramosissimus, striato-sulcatus, lutescens.

Rami consimiles.

Folia alterna, remota, longe petiolata, peltata, septemloba, basi transversim truncata, nervosa, venosa, latitudine et longitudine ut plurimum sesquipollicaria: lobis ovato-subrotundis cum parvo acumine.

Petioli teretes, basi spiraliter contorti, foliis duplò longiores.

Stipulae oppositae, semilunulatae, acutae, inciso-ciliatae.

Pedunculi foliis duplò longiores, axillares, erecti, uniflori, basi curvati.

Calyx luteo-croceus, nectario petalis duplò longiori, subulato-conico, recto.

Petala obovata, unguiculata, margine superiori inciso-

ciliata : *duo superiora* lutea, inferioribus triplò minora, *tria inferiora* coccineo-punicea.
FILAMENTA purpurascentia. *Antherae* violaceae.
FRUCTUS ovatus, trigonus, trisulcus, compositus drupis tribus connatis, trigonis.
HABITAT in *Andium* nemoribus ad *Muña* tractus, locis humidis et subumbrosis.
FLORET Augusto, et Septembri.

TROPAEOLUM DIPETALUM. ICON. CCCXIII. *Fig. b.*

4. T. foliis subpeltatis septemlobis, corollâ dipetalâ, petalis spathulatis crenulatis.
PLANTA perennis, herbacea, glabra, succosa, leviter glauca.
CAULIS scandens, ramosissimus, flexuosus, sulcatus, rubescens.
RAMI consimiles.
FOLIA alterna, ad caelum spectantia, solitaria, longè petiolata, subpeltata, palmata, septemloba, quinquenervia, venoso-reticulata : lobis oblongo-obovatis ovatisque cum acumine minimo, integerrimis ; intermedio aliquando subtrilobo.
PETIOLI 1-2palmares, rubri, teretes, prope foliorum basim affixi.
STIPULAE magnae, infra petiolorum basim oppositae, breviter petiolatae, reniformes, tricrenato-lobatae ; *lobis* rotundatis acumine minimo.
PEDUNCULI axillares, solitarii, uniflori, foliis duplò ferè longiores, teretes, striati, rubicundi.
CALYX coccineus ; *laciniis* lanceolatis, patentibus, leviter concavis, acutis, subpollicaribus, marcidis reflexis, persistentibus cum reliquis floris partibus : *nectarium* cornutum, recurvum, subulatum, obtusum, cavum.
COROLLA punicea, dipetala : *Petala* inter laciniam superiorem et laterales calycis inserta, spathulata, obtusa, leviter crenata : *inferiora* nulla.
FILAMENTA assurgentia. *Antherae* tetragonae, obtusae, luteae, biloculares, loculis septo intermedio divisis.
GERMEN turbinatum, trilobum. *Stylus* brevis, trisulcatus. *Stigma* trifidum, laciniâ alterâ paulò longiori.
DRUPAE tres, magnae, connatae, ferè siccae, obovato-turbinatae, extrorsum convexae, introrsum plano-triangulares, receptaculo trigono, triquetro, turbinato affixae, saepe tertia abortiva.
SEMINA consimilia, rugosa.
HABITAT in *Andium* montibus ad *Pillao* tractus silvaticos.
FLORET à Majo ad Septembrem.
VERNACULE Monte-Massua.
Explic. Icon. 1 Petala. 2 Stamen. 3 Idem auctum. 4 Pistillum. 5 Drupa extus conspecta. 6 Eadem intus visa. 7 Receptaculum trium druparum cum flore marcido.

TROPAEOLUM TUBEROSUM. ICON. CCCXIV. *Fig. b.*

5. T. foliis peltatis quinquelobis basi transversim truncatis, petalis dentatis calycis ferè longitudine.
PLANTA herbacea, scandens, glabra, biulnaris.
RADIX tuberoso-pendula : *Tubera* obversè conica, rubra luteaque, 2-3pollicaria, crassitudine bipollicari et ultra, hinc inde excavata, nitida.
CAULIS teres, nitidus, ramosus, gracilis.
RAMI consimiles, longissimi, flexuosi.
FOLIA alterna, petiolata, semiorbiculata, latiora quàm longiora, utplurimum sesquipollicaria, peltata, quinqueloba, rarissimè septemloba, tenuia, nitida, leviter undulata, nervosa, venosa, basi transversim truncata: *lobis* rotundatis, acuminatis, subaequalibus.
PETIOLI teretes, basi incrassati, longitudine ferè foliorum.
STIPULAE oppositae, breves, subulatae, reflexae, deciduae.
PEDUNCULI axillares, foliis quadruplò longiores, teretiusculi, basi incrassati, purpurei, uniflori, recti, nitidi.
CALYX coccineus, laciniis oblongis, bilinearibus; calcare semipollicari, recto, subulato.
PETALA coccineo-punicea, calycis ferè longitudine, apice dentata : *duo superiora* sessilia ; *inferiora tria* unguiculata.
HABITAT copiosè in *Peruviae* praeruptis subcalidis, in quibus abundè colitur.
FLORET à Junio ad Septembrem.
VERNACULE dicitur *Massua*, et radices ejus *Massuas.*
Usus : Incolae radices coctas quotidie comedunt.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Idem absque petalis longitudinaliter scissus. 3 Petala superiora. 4 Petala inferiora. 5 Stamina. 6 Pistillum. 7 Drupae coalitae.

TROPAEOLUM CILIATUM.

6. T. foliis peltatis palmatis sexlobis, stipulis bracteolisque ciliatis, petalis integerrimis longitudine ferè calycis.
PLANTA herbacea, scandenti-volubilis.
CAULIS gracilis, filiformis, ramosissimus, flexuosus, glaber, nitidus.
RAMI consimiles.
FOLIA alterna, longè petiolata, 6nervia, peltata, profundissimè sexloba, supra glabra, nitida, subtus pubescentia, lobis obovatis, acumine minimo, integerrimo, inaequalibus, supremo infimo 4plò majori.
PETIOLI foliis longiores, spiraliter contorti, filiformes.
STIPULAE oppositae, orbiculato-reniformes, parvae, ciliatae, deciduae.
PEDUNCULI axillares, solitarii, filiformes, petiolis breviores, curvati, uniflori, in medio bracteolis duabus alternis, stipulis conformibus.
CALYX pentagonus, lutescens, profundè quinquefidus, laciniis lanceolatis : calcare minimo, conico.
PETALA calyce vix longiora, lutea, integerrima ; *duo superiora* obovata, latiora, striis purpureis maculata ; *inferiora tria* cordata, obtusa, longè unguiculata.
HABITAT in *Regni Chilensis* silvis ad *Sancti Jacobi* civi-

tatis tractus, praesertim in *Quebrada de Ramon*, et in *Conceptionis* urbis, *Chiguayante* et *Coliumo* locis umbrosis et in fluviorum ripis.

Floret à Septembri ad Januarium.

EPILOBIUM denticulatum. Icon. CCCXIV. *Fig. a.*

1. E. foliis sublanceolatis denticulatis; inferioribus oppositis; superioribus sparsis, petalis aequalibus bifidis.

Planta suffruticosa, sesquipedalis et ultra.

Radix fibrosa.

Caulis erectus, aliquando procumbens, radicans, teres, nitidus, purpureus, pubescens, infernè ramosus.

Rami consimiles, virgati, ramulis plurimis, brevibus, axillaribus.

Folia breviter petiolata, sublanceolata, denticulata, erecta, subtus leviter pubescentia, supra glabriuscula: *inferiora* opposita, *superiora* sparsa: longitudine vix pollicaria, latitudine utplurimum trilinearia.

Pedunculi axillares, solitarii, uniflori, foliis breviores.

Flores parvi.

Calyx ruber: laciniis oblongis, acuminatis, patentiusculis.

Petala quatuor, calyce paulò longiora, aequalia, bifida, rosei coloris, patentia.

Capsula linearis, 4gona, 4sulca, sesquipollicaris et ultra, erecta, purpurea, pubescens, recta, rarissimè parum curvata.

Semina minima, fusco fulvescentia; pappo albo.

Habitat in *Peruviae* et *Chilensis Regni* fluviorum ripis per *Limae*, *Chancay*, *Tarmae*, *Huanuci* et *Conceptionis* Provincias.

Floret à Junio ad Novembrem in *Chilensi Regno*, sed per totum annum in *Peruvia*.

Explic. Icon. 1 Semen pappo coronatum.

OENOTHERA. Linn. *Gen. pl. p.* 250.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* superum, infundibuliforme, deciduum. *Tubus* teres, supernè sensim ampliatus. *Limbus* quadripartitus: *laciniis* semilanceolatis, deflexis.

Cor. *Petala* quatuor, magna, obovato-cuneiformia, lata, plana, fauci calycis infra divisuras insidentia, longitudine laciniarum calycis.

Stam. *Filamenta* octo, corollâ breviora, subulata, fauci calycis inserta: *alterna* longiora. *Antherae* incumbentes, biloculares, longitudinaliter utrinque dehiscentes.

Pist. *Germen* inferum. *Stylus* filiformis, longitudine ferè staminum. *Stigma* quadripartitum: *laciniis* crassis, patentibus.

Per. *Capsula* quadrilocularis, quadrivalvis: *valvulis* medio septiferis.

Sem. plurima, parva, subobovata. *Receptaculum* centrale, liberum, tetragonum.

Obs. 1. Specierum hujus Generis fructificationis partes, figurâ et longitudine maximè variant. *Calycis Tubus* in aliis speciebus brevis, in aliis longissimus: *Petala* obovato-cuneiformia, aut obcordata, aut semibifida: *Filamenta quatuor alterna* reliquis paulò, aut dimidio breviora: *Antherae* obovatae, aut oblongae, aut lineares: *Germen* cylindraceum aut tetragonum: *Stylus* longitudine staminum aut longior: *Stigma* plerumque quadripartitum, aliquando quadrifidum: *Capsula* subcylindrica, aut clavata, aut obovata, recta aut curvata, sulcata aut striata, tetragona aut octogona, angulis alternis acutioribus, prominentioribus, aliquando versus apicem alatis: *Semina* obovata aut cuneiformia, angulata aut non angulata, striata aut laevia.

Obs. 2. Flores omnium *Oenotherae* Specierum post solis occasum explicari incipiunt, manè postero die penitus explicantur, et circa meridiem, vel post meridiem colorem mutantes marcescunt; quapropter ephemeri flores dici debent.

Obs. 3. Si aliquis illorum Botanicorum, qui nova Genera condere vehementer satagunt, abuti voluerit ad cupiditatem suam explendam anomaliis, quae in diversarum Generis Oenotherae Specierum fructificationibus observantur, in eis profecto inveniet ad ea statuenda haud minora fundamenta quàm in anomaliis *Banisteriae* Generis Specierum, ex quibus stabilita jam recensentur quinque Genera, quae sequuntur: *Banisteria*, *Hiraea*, *Triopteris*, *Tetrapteris* et *Molina* D. Cavanilles; quae reverâ unum idemque tantummodo Genus naturale constituunt.

OENOTHERA grandiflora. Icon. CCCXVIII. *Fig. b.*

1. O. foliis interruptè pinnatis pinnatifido-lyratisque, capsulis obovatis tetragonis alatis.

Oenothera (acaulis) foliis pinnatifidis, lacinia terminali majore denticulata. Cavanilles Icon. *pag. 68. tab. 399.*

Planta herbacea, biennis, initio florescentiae acaulis, postea caulescens.

Radix fusiformis, fibrillis capillaribus, albicans.

Caulis simplicissimus, assurgens procumbensque, subteres, nitidus, villosiusculus, sesquipedalis.

Folia *radicalia* conferta, patentia: *caulina* alterna, patula: *omnia* petiolata, interruptè pinnata pinnatifido-lyrataque, 2-3palmaria, dum tenera magis pilosa: *pinnis laciniisque inferioribus* parvis, interruptis, lineari-lanceolatis, horizontalibus; *superioribus* patentiusculis, gradatim majoribus, ovato-lanceolatis, dentatis; *terminali* maximo, ovato, acuto, dentato.

Flores magni, à radice ad caulis apicem, axillares, sessiles, solitarii.

Calyx purpurascens, pilis raris: *Tubus* bipalmaris, obscurè tetragonus, tenuis, supernè ampliatus: *Limbus*

quadripartitus : *laciniis* deflexis, incurvatis, cymbaeformibus, lineari-lanceolatis, longitudinaliter striatis, sesquipollicaribus.

PETALA obovata, truncata, venosa, alba, longitudine limbi calycis, patentissima, in marcescentia contracta, purpurea.

STAMINA corollâ breviora : *Filamenta* subulata. *Antherae* lineares, versatiles, quadrilineares, luteae, sulco longitudinali.

STYLUS longitudine staminum : *Stigma* quadripartitum; laciniis subulato-linearibus, reflexis.

CAPSULA sessilis, obovata, tetragona, obtusè acuminata, basi vix incurva; rugosa, angulis à medio ad apicem quadrialatis, fusca, semipollicaris, quadrilocularis, ab apice usque ad tertiam partem quadrivalvis : *valvulis* ovatis, medio septiferis, erectis, valde crassis, acumine obtuso, retroflexo.

SEMINA numerosa, cuneiformia, membranulâ brevi, alaeformi per marginem cincta, receptaculo centrali, libero, lineari, utrinque angustato, tetragono quadrifariam affixa, atra.

HABITAT in *Regni Chilensis* arvis et ruderatis passim ad *Conceptionis* urbem, *Penco el viejo*, *Chihuayante*, *Carcamo*, *Palomares* et *Mochita*, non verò *Mochilla* ut D. Cavanilles scripsit, *Hualqui* et *Talcaguano* Portu suburbiis; abundat quoque in *Puchacay*, *Cauquenes*, *Rere* et *Itatae* Provinciis.

FLORET Decembri, et Januario.

VERNACULE Guadalagüen, id est, *Yerba de la Apostema.*

VIRES ET USUS : Incolae infusione et decocto ad apostemata interna expellenda frequenter utuntur.

Obs. 1. Quamquam in *Oenotheris tenella*, *tenuifolia* et *dentata* nomina trivialia à D. Cavanilles imposita (quamtumvis aliis ejusdem Generis etiam convenientia, utpote iisdem characteribus notata) retinuimus vitandae confusionis causâ, quam illorum mutatio in aptiora afferre posset; mutare tamen coacti sumus nomen triviale *acaulis*, quod idem D. Cavanilles huic Speciei indidit, eò permoti quòd non sit planta acaulis; nam etsi primo germinationis anno fructificare incipit ante caulis elongationem, vegetare deinde pergit, et se extendit in caulem sesquipedalem; illae plantulae acaules pro Speciei Varietatibus haberi non debent, uti perperam suspicatus est D. Cavanilles, sed pro ejusdem Speciei individuis junioribus aut adultioribus.

Obs. 2. Hujus plantae iconis jacturam, quam fecimus, reparari, adnixi sumus speciminum exsiccatorum, quae possidemus et descriptionis ope, quam in natali solo adversariis tradideramus, eo quidem consilio, ut lectoribus iconem exhibeamus perfectiorem et naevorum immunem, quos in D. Cavanilles icone licet animadvertere. *Radicem* scilicet describit *crassam* et *fibrosam* : adumbrat tamen eam absque fibris, quas nihilominus habet capillares. Tres in icone flores attribuit tresque capsulas congestas, quae profectò solitariae sunt et alternae, quamvis magis adproximatae sint, quo tempore caulis nondum elongatus est, aut si hic forte corrosus ab animantibus fuerit, quod saepe accidit. In capsulis autem haud observantur alae quatuor, neque rugositates; eas etiam apertas perperam ostendit. In duobus floribus clausis quatuor Calycis laciniarum apices divergentes repraesentare oportuit, quemadmodum recognoscuntur in tenerioribus, vel in apertis floribus videre est. Lacinias verò Calycis in flore aperto incurvatas exprimere debuit, et cymbaeformes, non autem rectas, planasque. Petala longitudinis habitâ ratione latiora adumbranda fuerunt. Antherae non rectae, absque sulco et tenues, sed recurvatae, quadruplò crassiores et sulco longitudinali notatae. Nullum Germen in icone apparet. Stylus sextuplò gracilior naturali repraesentatur. Stigmatis laciniae latiores et magis reflexae reverâ in planta sunt. In Capsula *Fig. b.* dehiscentiam exhibuit à naturali prorsus diversam. Semen denique *Fig. c.* membranâ alaeformi caret, quâ omnia semina per marginem cinguntur; quod etiam, etsi non parvi momenti in sua oratoria descriptione neglexit.

Explic. Icon. 1 Capsula dehiscens. 2 Semina.

OENOTHERA VIRGATA. ICON. CCCXV. *Fig. a.*

2. O. foliis lyratis lanceolatisque dentatis, capsulis pedunculatis clavatis.

PLANTA herbacea, annua.

RADIX ramoso-fibrosa.

CAULES plures, pedales, procumbentes, aliquando radicantes, assurgentes, teretes, graciles.

RAMI lenti, purpurei, nitidi, leviter pubescentes, floribus subpaniculatis terminati.

FOLIA alterna, breviter petiolata, supra glabra, subtus vix pubescentia; *inferiora* lyrata, acuta; *reliqua* lanceolata, pleraque dentata; nonnulla integerrima.

FLORES subpaniculati, remoti, pedunculati, solitarii, bracteâ lanceolato-lineari suffulti.

CALYX ruber; laciniis reflexo-incurvis.

PETALA patentia, purpurea, oblongo-obovata, calyce vix longiora.

CAPSULA clavata, pedunculata, octangularis, angulis alternis prominentioribus, acutis.

SEMINA fulvescentia, obovata, longitudinaliter striata.

HABITAT inter *Peruviae* segetes et in ruderatis, copiosè in *Cercado*, *Chancay*, et *Huanuci* Provinciis.

FLORET toto anno.

Obs. Plantae, quae in collibus arenosis veniunt, graciliores sunt et minus ramosae, et folia vix incisa habent.

Explic. Icon. 1 Capsula aperta. 2 Semina.

OENOTHERA PROSTRATA. ICON. CCCXV. *Fig. b.*

3. O. foliis sublanceolatis acutis dentato-sinuatis, capsulis linearibus, obtusè tetragonis, coronatis, curvatis.

Planta bipedalis, herbacea, pubescens, biennis.
Radix fusiformis, fibrillosa.
Caulis infernè ramosus, prostratus, teres.
Rami alterni, divisi, subteretes, assurgentes.
Folia alterna, sublanceolata, acuta, dentato-sinuata, subsessilia, reflexa, pollicaria et ultra, venosa.
Flores axillares, solitarii, sessiles.
Calycis laciniae reflexae, tandem dependentes, lanceolato-subulatae, petalis longiores.
Petala lutea purpureaque, obcordata.
Capsula subcylindrica, obsoletè tetragona, curvata, pollicaris, denticulis quatuor obtusis coronata, villosa.
Semina fulvescentia, minima, obovata.
Habitat inter *Peruviae* segetes, copiosè in *Cercado* et *Chancay* Provinciis.
Floret toto anno.
Vulgo: *Yerba* del *Clavo cimarrona*.
Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Capsula. 3 Eadem aperta. 4 Semina.

OENOTHERA mollissima.

4. O. foliis lanceolatis denticulatis, capsulis linearibus obsoletè tetragonis coronatis striatis rectis.
Oenothera (mollissima) foliis lanceolatis undulatis. Linn. *Sp. pl. p. 148.*
Onagra bonariensis villosa, flore mutabili. Dill. *elth. p. 297. tab. 219. fig. 286.*
Planta herbacea, pedalis, mitis.
Caules plures, virgati, erecti, simplicissimi, purpurascentes, teretes, infernè mollissimi, supernè villosi.
Folia alterna, denticulata, mollissima; *radicalia* lanceolato-spathulata; sesquipollicaria; *caulina* lanceolata, sessilia, semiamplexicaulia, utplurimum pollicaria.
Flores à medio caulium ad apicem, axillares, solitarii, sessiles.
Calyx villosus, pollicaris et ultra, dilutè purpurascens: *laciniis* lanceolatis, acuminatis, retroflexis.
Petala magna, obovata, truncata, lutea, tandem purpurea.
Capsula linearis, obsoletè tetragona, coronata, striata, recta, villosa.
Habitat in *Regni Chilensis* campis aridis ad *Conceptionis* urbem.
Floret Novembri, et Decembri.

OENOTHERA multicaulis. Icon. CCCXVII. *Fig. b.*

5. O. foliis radicalibus lanceolatis denticulatis; caulinis ovatis, capsulis secundis clavatis octogonis.
Planta herbacea, perennis, pubescens, depressa.
Radix fusiformis, perpendicularis.
Caules plures, simplicissimi, inaequales, uni-bipalmares, depressi, undique sparsi, teretes, purpurei, flexuosi.
Folia *radicalia* plura, inaequalia, lanceolata, denticulata, pollicaria, latitudine quadrilinearia; *caulina* alterna, ovata oblongaque, sessilia, leviter denticulata, longitudine semipollicari.
Flores à basi ad apicem caulium, axillares, solitarii, sessiles, secundi.
Calyx purpurascens. *Tubus* longitudine germinis, infernè angustatus. *Limbus* quadripartitus; laciniis retroflexis, semilanceolatis.
Petala subrotunda, sulphurei coloris, longitudine laciniarum calycis, patentia.
Capsulae secundae, clavatae, coronatae, recurvatae, purpureae, octogonae, angulis alternis productioribus.
Semina obovata, angulata, fulvescentia.
Habitat in *Peruviae Andium* subalpinis *Tarmae* et *Cantae* Provinciarum.
Floret Majo, et Junio.
Obs. Planta Oenotherae pumilae Linnaei affinis, sed ab illa differt caulibus pluribus, inaequalibus, simplicissimis; foliis denticulatis, radicalibus lanceolatis, caulinis ovatis oblongisque; floribus sessilibus, secundis; *Petalis* subrotundis; capsulis secundis, sessilibus, clavatis, curvatis. Adde iconem Oenotherae pumilae, quam in Dict. tab. 188. Miller tradit minimè cum nostra planta convenire.
Explic. Icon. 1 Capsula dehiscens. 2 Semina. 3 Receptaculum seminum.

OENOTHERA tenella. Icon. CCCXVI. *Fig. b.*

6. O. foliis oblongo-obovatis, capsulis cylindricis curvatis.
Oenothera (tenella) caule herbaceo erecto: foliis ovato-oblongis: antheris alternis subsessilibus. Cavanilles Icon. *vol. 4. p. 66. tab. 396. fig. 2.*
Planta suffruticosa, subpedalis.
Radix pedalis, ramosa, flexuosa; fibris longissimis, flexuosis, dilutè fusca.
Caulis erectus, declinatus, teres, infernè ramosissimus, nitidus.
Rami virgati, inaequales, simplicissimi, graciles, supernè canescentes, aliquando purpurei.
Folia sparsa, subsessilia, leviter scabriuscula, inaequalia, oblongo-obovata acumine minimo, integerrima, nonnulla denticulo uno alterove notata: *tenera* canescentia, avenia.
Gemmae *foliiferae* axillares, foliis 3-6, fasciculatis, inaequalibus.
Flores ex axillis superioribus, solitarii, sessiles.
Calycis *Tubus* brevissimus. *Limbus* quadripartitus; laciniis ovato-lanceolatis, retroflexis, pubescentibus.
Petala quatuor, purpurea, calyce duplò longiora, obovato-cuneiformia, venosa, margine superiori inaequaliter crenulato.
Stamina calyce breviora. *Filamenta* subulata, quatuor reliquis alternis dimidio breviora. *Antherae* ovato-lanceo-

latae, incumbentes, biloculares, lateribus longitudinaliter utrinque dehiscentes.

STYLUS staminibus brevior. *Stigma* quadripartitum; laciniis ovatis.

CAPSULA cylindrica, curvata, sessilis, pollicaris, octosulcata, incana.

SEMINA fulva, angulata.

RELIQUA, ut in Charactere generico.

HABITAT in *Regni Chilensis* campis, segetibus et arvis, copiosè in *Conceptionis*, *Cauquenes*, *Rere*, et *Itatae* Provinciis, passim ad *Conceptionis* urbem, et in *Talcahuano* portûs vicinia.

FLORET Octobri, et Novembri.

Obs. Hujus Speciei iconem ex specimine plantae sicco repraesentatam exhibere necessarium existimavimus, quoniam à D. Cavanilles delineatam omnibus ferè partibus inexactam deprehendimus: siquidem cùm *Petala* margine superiore crenulata descripsisset, integerrima in icone apparent: quin etiam *Petala rotundata basi angustata*, *limbo superiore crenulato* dixit, quae Petala obovato-cuneiformia, truncata, margine superiore inaequaliter crenulato dicenda fuissent. *Antheras* verò alternas, quas subsessiles describit, filamentis innixas repraesentat, cùm in calyce à ceteris partibus sejuncto, tum in unico, quem exhibet, plantae flore; in quo quidem, loco octo staminum, septem tantum apposuit. In icone et descriptione antheras tradit erectas, quae revera incumbentes sunt, uti ceterarum omnium specierum, neque in ipsis sulcum longitudinalem ostendit, qui loculos dividit, quemque idem descripserat. In iconis explicationis *Fig. i. Genitalia*, inquit, *aucta Calyci affixa*, quamquam Stylus atque adeo Stigma, quae genitalium integrantes partes sunt, desiderentur; neque inter ea animadvertit ibi etiam Calycem auctum expressum fuisse. Literâ *h.* quam loco *k.* citavit, capsulam exhibet apertam cum valvulis subulatis, quae contrà lineares sunt et truncatae. In hac autem Capsula, pariterque in aliis duabus, quas in icone videre fas est, neutiquam distinguntur octo sulci, quibus naturales gaudent: eaedem denique omnes inconcinnè delineatae sunt.

Credibile admodum est, D. Cavanilles in Speciminibus exsiccatis, quae ipsi praebuit D. Ludovicus Neé, non nisi plantas teneras et anniculas reperiisse, quandoquidem caulem herbaceum, et saepius simplicissimum describit, de planta agens verè suffruticosa et ramosa: at minimè mirum videri debet in has salebras incidisse, qui stirpes ex Speciminibus siccis describit et delineat, quin eas vivas, nascentes, crescentes, et perfectam maturitatem adeptas, quo in statu describere et delineare oportet, observaverit. Qui secus fecerit, maximum periculum adit plures ex eadem Specie fictitias formandi, quoniam ratione locorum, quibus nascuntur, et aetatum mirum in modum numero, figurâ, colore et omnium, aut saltem multarum partium magnitudine variant; quod frequentissimè in Oenotheris, Calceolariis, Sidis et Malvis contingit.

Explic. Icon. 1 Flos absque petalis. 2 Stamina duo. 3 Capsula. 4 Eadem dehiscens. 5 Semina.

OENOTHERA TENUIFOLIA. ICON. CCCXVII. *Fig. c.*

7. O. foliis inferioribus oblongis; superioribus linearibus, capsulis cylindricis rectis.

OENOTHERA (tenuifolia) foliis linearibus angustissimis elongatis: petalis luteo rubris crenulatis. CAVAN. *Ic. vol. 4. pag. 67. tab. 397.*

ONAGRA Linariae folio, magno flore purpureo. FEUILL. *tom. 3. pag. 47. pl. 34.*

PLANTA herbacea, annua, 1-2pedalis.

CAULIS erectus, teres, gracilis, infernè ramosus.

RAMI virgati, teretes, simplicissimi, purpurei; inferius glabri, nitidi; superius canescentes.

FOLIA alterna, canescentia, plerumque integerrima, rarius denticulo uno alterove, acumine minimo, ut plurimum pollicaria, latitudine 1-3linearia; *inferiora* oblonga, obtusa, subpetiolata, versus basim attenuata; *superiora* linearia, utrinque angustata, inferioribus longiora.

FLORES ex axillis superioribus, solitarii, sessiles.

CALYX purpurascens. *Tubus* infundibuliformis, trilinearis. *Limbus* quadripartitus: *laciniis* semilanceolatis, deflexis.

PETALA albido-purpurea, obovato-cuneiformia, margine superiori inaequaliter crenulata, calycis laciniis duplò longiora.

STAMINA petalis duplò breviora, lente vitreâ visa pubescentia. *Filamenta* subulata, latiuscula; alternantibus longioribus. *Antherae* lineares, incumbentes, recurvatae, purpureae.

STYLUS staminibus duplò longior. *Stigma* quadripartitum, laciniis ovatis, pubescentibus, purpureis.

CAPSULA sessilis, cylindrica, octangularis, angulis parum prominentibus, canescens: *valvulis* linearibus, truncatis.

SEMINA obovata, fulvescentia.

HABITAT in *Cauquenes*, *Puchacay*, *Rere*, *Conceptionis Chile* et *Quillotae*, Provinciarum collibus siccis, campis, pascuis et arvis.

FLORET à Novembri ad Martium.

Obs. Hic damus hujus Speciei iconem, perfectiorem quidem et plantam vivam referentem, quod neutiquam recognoscimus in ea, quam D. Cavanilles ex D. Neé Speciminibus, faciendam curavit: siquidem folia ejusdem omnino figurae et magnitudinis repraesentat, nervo longitudinali destituta, laxa, et naturalibus angustiora, praesertim inferiora, quae oblonga sunt: Calyces quoque duorum florum, quos in icone animadvertere licet, si cum vivis contuleris, mirum quantum ab illis distent; nam in altero Calyx tubo omnino caret, qui gaudere illo deberet longitudine limbi laciniarum; duae autem

laciniae, quae visui apparent, quasi duo foliola connata videntur petalis subjecta, quae etiam connata per lineae longitudinem et amplius sese ostendunt: in altero flore nihil aliud patet, nisi calycis duarum laciniarum pars quaedam, et discus, cui Stamina insident.

In *Figura* verò *b.* cujus explicatio Stamina Calyci imposita asserit, Calycis tubus cyathiformis, sessilis exhibetur et sesquilinearis, cùm sit infundibuliformis, et longitudinis plusquam trilinearis, praeterquam quod laciniae sunt subulatae, non verò lanceolatae; antheras describit rectas et erectas, quae recurvatae et incumbentes sunt: quam insertionem ostendunt figurae antherarum *d. d.*

In *Fig. c.* in cujus explicatione *Germen* dicitur *Stylusque per Calycis tubum transiens*, repraesentatur quoque calycis Tubus cyathiformis cum octo filamentis aequalibus, et subulatis, quae tamen inaequalia describserat, et *Fig. c.* inaequalia rursus, et capillaria delinearat; Stylus etiam filiformis apparet, qui prope Stigma crassior reverâ evadit.

Omnes Capsulae tum plantae adhaerentes, tum ab ea separatae, impropriissimè adumbratae reperiuntur; pedunculo enim tenuissimo et brevi instructas illas exhibet, quae sessiles profecto sunt, et cùm cylindricae sint, infernè crassiores utrasque facit; valvulas earum denique subulatas ostendit, cùm sint lineares et truncatae.

Una res est, quam tolerare in hac icone licet, petalorum nempe figura, modo crenaturae magis inaequales essent; reliqua valde à natura et veritate aliena sunt.

Explic. Icon. 1 Semina.

OENOTHERA subulata. Icon. CCCXVI. *Fig. a.*

8. O. foliis subulatis, capsulis clavatis tetragonis supernè alatis.

Planta suffruticosa, villosa, incana, pedalis.

Radix ramosa, perpendicularis, fusca.

Caules plures, erecto-patentes, virgati, teretes, simplicissimi, rarissimè divisi, graciles; *vetustiores* glabri.

Folia alterna, sessilia, subulata, integerrima, erecta, semipollicaria, latitudine semilineari.

Gemmae *foliiferae* axillares, polyphyllae, foliolis inaequalibus.

Flores axillares, sessiles, solitarii.

Calyx infundibuliformis. *Tubus* tenuis, trilinearis. *Limbus* quadripartitus: *laciniis* semilanceolatis, deflexis.

Petala cuneiformia, usque ad medium bifida, supernè crenulata, purpureo-rubra, striata.

Filamenta *alternantia* reliquis quatuor paulò longiora, stylo duplò breviora. *Antherae* incumbentes, purpureae.

Stylus corollae longitudine, filiformis, supernè incrassatus. *Stigma* quadripartitum, rubrum.

Capsula subsessilis, clavata, octangularis, angulis alternis prominentioribus, supernè alatis.

Habitat in *Conceptionis Chile* locis apricis, arvis et campis arenosis, copiosè ad *Hualpen*, *Cerro de Gavilan*, et *Mochita.*

Floret Februario, Martio et Aprili.

Explic. Icon. 1 Stamina duo. 2 Capsula. 3 Eadem aperta et aucta. 4 Receptaculum. 5 Semina.

OENOTHERA dentata. Icon. CCCXVII. *Fig. a.*

9. O. foliis sublinearibus denticulatis, capsulis cylindricis angustissimis curvatis.

Oenothera (*dentata*) foliis sublinearibus, denticulatis: capsulis tenuissimis, tetragonis. Cavanill. *Icon. vol. 4. p. 67. t. 398.*

Planta suffruticosa, pilis rarissimis, minimis, pedalis et ultra.

Radix perpendicularis, ramosa, fibris longissimis, flexuosis.

Caulis ramosus, teres, purpurascens, glaber.

Rami consimiles, inaequales.

Folia alterna, patenti-reflexa, sessilia, sublinearia, utrinque angustata, denticulata, vix pollicaria, latitudine lineari.

Gemmae *foliiferae* axillares, polyphyllae, foliolis inaequalibus.

Flores axillares, solitarii, sessiles.

Calyx purpureus. *Tubus* brevis, infundibuliformis. *Limbus* quadripartitus: *laciniis* semilanceolatis, tubo duplò longioribus, deflexis.

Petala obovata, superne obsoletè crenulata, lutea, tandem fulva.

Stamina corollâ duplò breviora: *Filamenta* subulata; *alternantia* paulò longiora. *Antherae* ovatae, incumbentes, luteae.

Stylus longitudine staminum. *Stigma* leviter quadrifidum.

Capsula cylindrica, angustissima, curvata, foliis duplò longior, purpurea.

Habitat in *Regni Chilensis* arvis, segetibus et locis arenosis *Conceptionis*, *Puchacay*, *Cauquenes* et *Rere* Provinciarum copiosè in *Hualpen*, *Andalien*, *Biobio*, *Mochita* et *Quebrada de Carcamo* circuitu.

Floret à Novembri ad Aprilem.

Obs. Quamquam hujus Speciei icon minus imperfecta praestet in D. Cavanilles Opere, quàm Oenotherae tenuifoliae; naevi tamen aliquanto insignes in illa apparent, ex gr. *Folia majora* absque nervo longitudinali, atque ita dentata, ut potius folia serrata esse videantur, quàm denticulis horizontalibus praedita; *ramulorum teneriorum* subulata, quae reverâ ejusdem figurae sunt ac cetera; praeterea in *unico* ex tribus floribus, in quo *stamina* ostenduntur; *septem* tantummodo, non octo exhibentur; septem quoque Capsulas adumbrat D. Cavanilles *pluribus articulationibus* constantes; reliquas verò in-

articulatas, quemadmodum eas natura finxit; quinque Capsulae in *tres*, *quatuor*, *quinque setulas* desinunt, quas quidem nullam habere oporteret; quòd, si repraesentare valvularum extremitates voluit, lineares illas exhibere debuit, uti exhibuit in Capsula aucta litera *e*.

Genitalia, inquit, *Fig. c.* at illic, praeter stamina et stylum calyx scissus et petala ostenduntur, Germen autem, quod pistilli pars est, non apparet. Ad extremum *radicem descendentem* describit pro *radice perpendiculari*, siquidem radices semper sunt descendentes: *Caulis* autem *descendens* nihil aliud est nisi *radix*: *petala orbiculata basi angustata*, quae petala obovata debuit dicere: Capsulam demum tetragonam *Capsulam* verè *cylindricam* vocavit.

Explic. Icon. 1 Capsula dehiscens. 2 Semina. 3 Semen auctum. 4 Receptaculum seminum.

RHEXIA.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

CAL. *Perianthium* inferum, persistens, urceolatum: *Tubus* ventricosus, oblongus: *Limbus* profundè quadrifidus; *laciniis* lanceolato-subulatis.

COR. *Petala* quatuor, fauci calycis inserta, obovata, obliqua, calyce longiora.

STAM. *Filamenta* octo, fauci calycis inserta, subulata. *Antherae* subincumbentes, declinatae, subulatae, incurvae, basi excavatae, subcalcaratae, anticè sulcatae, biloculares, apice poro pollen effundentes, longitudine petalorum.

PIST. *Germen* superum, intra calycis tubum, ovatum, ad apicem setosum. *Stylus* filiformis, curvatus, petalis paulò longior. *Stigma* simplex, obsoletè quadristriatum.

PER. *Capsula* ovata, intra tubum calycis, quadrilocularis, quadrisulcata, quadrivalvis: *valvulis* septiferis, ad apicis posticam partem setis numerosis, imbricato-fasciculatis.

SEM. numerosa, minima, cochleata. *Receptacula* quatuor, semilunulata, divergentia, columnae centrali, quadrisulcae, truncatae, quadridentatae orbiculatim ultra basim adnata, columellâ breviora.

Obs. In Rhex. *quinquenervi*, et *dichrananthera* flores octandri; in *Rh. echinata*, *flexuosa* et *grandiflora* decandri. Flores nonnullos decandros in *Rhexia lutescente* et *rosmarinifolia* offendimus. *Calycis laciniae* in *Rhexia grandiflora* simul cum petalis et staminibus decidunt, et tunc *Tubus calycis* denticulis quinque, minimis, laciniarum vestigiis alternantibus, coronatus. *Petala* initio in se invicem in tubi formam convoluta, postea magis minusve patentia observantur. *Antherae* primum deflexae, tandem declinatae assurgentes, plerumque ultra basim coarctatae: in *Rhexia dichrananthera* Antherae furcatae. *Germen* et *Capsula* in Rh. *rosmarinifolia*, *quinquenervi* et *echinata* apice densè echinatum, sed in reliquis Speciebus setis numerosis, mollioribus, imbricato-fasciculatis coronantur.

RHEXIA QUINQUENERVIS. ICON. CCCXVIII. *Fig. b.*

1. R. foliis ovatis acutis quinquenervibus, pedunculis dependentibus subcorymbosis, petalis convolutis violaceis.

FRUTEX triulnaris.

CAULIS erectus, subteres, geniculatus, rimosus, post corticem exteriorem cinereum sponte secedentem ferruginei coloris, ramosissimus, ad genicula villis longioribus orbiculatim digestis, deciduis.

RAMI divergentes, consimiles: *teneri* breves, brachiati, recurvati, tetragoni, hispidi, foliosi, compressiusculi.

FOLIA opposita, petiolata, ovata, acuta, ovato-lanceolataque, integerrima, quinquenervia; supra nitida, hispida, viridia; subtus hirsuta, lutea: utplurimum sesquipollicaria, latitudine pollicari; nervis lateralibus, paullulum ultra basim coadunatis.

PEDUNCULI axillares, solitarii, plerumque bini, aliquando terni, dependentes, triflori, saepe multiflori, ternatim divisi, subcorymbosi, hispidi, compressi.

FLORES octandri, penduli, pedicellis brevibus, bracteis duabus oppositis, lineari-subulatis, sesquilinearibus stipatis.

CALYX hirsutus, rubro-purpureus; laciniis subulatis, erectis, tubo dimidio longioribus, persistentibus; in fructu in se invicem contortis.

PETALA quatuor, violacea, obovata, truncata, in se invicem convoluta, laciniis calycis duplò longiora, glabra.

FILAMENTA octo, subulata, laciniis calycis breviora. *Antherae* declinatae, lineari-subulatae, anticè sulcatae, post pollinis effusionem resupinatae, plicatae.

GERMEN ovatum, apice densè echinatum. *Stylus* petalis longior, declinatus. *Stigma* obtusum, obsoletè tetragonum.

CAPSULA ovata, quadrisulca, quadrilocularis, longitudinaliter quadrivalvis: *valvulis* ad apicis posticam partem densè echinatis.

SEMINA numerosa, minima, cochleata, fulvescentia.

RELIQUA, ut in Charactere generico.

HABITAT in *Huassahuassi*, *Panao*, *Chaclla* et *Muña* montibus, copiosè in *Sancti Dominici*, et *Llamapañaui* collibus.

FLORET á Majo ad Septembrem.

VERNACULE Cachiquis.

VIRES ET USUS: Incolae colore luteo lintea totâ plantâ tingunt.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Petala. 3 Stamina. 4 Pistillum cum echinis. 5 Echini. 6 Pistillum absque echinis. 7 Capsula intra calycem. 8 Eadem transversim secta. 9 Capsula á calyce libera. 10 Eadem aperta cum receptaculo. 11 Semina. 12 Semen auctum.

RHEXIA lutescens. Icon. CCCXIX. *Fig. a.*

2. R. foliis ovatis trinervibus rugosis, pedunculis trifloris pendulis, petalis convolutis lutescentibus.

Frutex biorgyalis, densè hispidus.

Caulis erectus, ramosissimus, teres, infernè nudus, supernè scaber.

Rami conferti, consimiles: *teneri* breves, rubro-purpurei, brachiati.

Folia opposita, petiolata, ovata, trinervia, rugosa, plana, aliquando marginibus parum reflexis, integerrima, subtus incana, supra nitida, utplurimum quadrilinearia, latitudine subtrilinearia.

Petioli unilineares, supra canaliculati.

Pedunculi axillares terminalesque, triflori, aliquando quinque-septem-novemflori.

Flores penduli, pedicellati, octandri.

Pedicelli ultra medium foliolis duobus, deciduis.

Calyx rubicundo-purpureus, hispidus: laciniis semilanceolatis, persistentibus.

Petala quatuor, in se invicem convoluta, calyce triplò longiora, lutescentia, patentia, cuneiformia, truncata, obliqua, ad marcescentiam patula.

Filamenta purpurascentia. *Antherae* subulato-sagittatae, angulis posticis obtusis, longitudine petalorum, lutescentes: nervo purpureo.

Germen setis numerosissimis, in quatuor fasciculis digestis, coronatum.

Reliqua, ut in Charactere generico.

Habitat copiosè in montibus *Chaclla* ad *Piñapata* et in *Muña* ad *Tambo nuevo* locis frigidis et pluviosis.

Floret Julio, et Augusto.

Obs. Flores nonnullos decandros offendimus, quorum partes fructificationis quintam partem addunt.

Explic. Icon. 1 Flos absque petalis. 2 Petalum. 3 Stamen. 4 Capsula intra calycem. 5 Eadem à calyce libera. 6 Eadem patens cum receptaculo. 7 Semina. 8 Semen auctum.

RHEXIA rosmarinifolia. Icon. CCCXVIII. *Fig. a.*

3. R. foliis oblongo-linearibus trinervibus margine revolutis, pedunculis 3-5floris pendulis, petalis convolutis violaceis.

Frutex orgyalis.

Caulis erectus, ramosissimus, teres, cortice rimoso, secedenti, scabro-echinato; infernè à cortice exteriori denudatus, fusco-purpurascens.

Rami erecti: *seniores* consimiles: *juniores* breves, foliosi, tetragoni, echinati.

Folia opposita, confertissima, breviter petiolata, utrinque densè echinata, oblongo-linearia, obtusa, integerrima, trinervia, marginibus revolutis, utplurimum quadrilinearia, latitudine bilineari.

Petioli supra canaliculati, semilineares, echinati.

Pedunculi terminales, penduli, 3-5flori, compressi.

Flores breviter pedicellati, foliolis duobus, parvis, caducis sub singulo calyce.

Calyx viridi-purpurascens, turbinatus, densè echinatus; laciniis semilanceolatis, erectis; in fructu conniventibus.

Petala quatuor, obscurè violacea, obliquè obovata, obtusè acuminata, calyce duplò longiora, in se invicem in tubum convoluta.

Filamenta octo, violacea, laciniis calycis breviora. *Antherae* luteae, parum recurvae, lineari-subulatae, ad basim anticè bicalcaratae, apice poro pollen effundentes.

Germen subrotundum, supernè echinatum. *Stylus* petalis duplò longior. *Stigma* obtusum, obsoletè 4striatum.

Capsula ovalis, intra ventrem calycis, supernè echinata, quadrisulca, quadrivalvis.

Semina numerosa, obovato-cochleata, laevia, fulvescentia. *Receptacula* quatuor, atra.

Obs. Flores nonnullos decandros offendimus; quorum fructificationis partes quintam partem augent. Petala noctu et manè patentia, postea convoluta in tubum. *Antherae* ante floris explicationem dependentes, deinde eriguntur.

Habitat in *Huanuci* et *Tarmae* collibus ventosis, aridiusculis.

Floret Junio, et Julio.

Vernacule Cachiquis.

Vires et Usus: Incolae ad tincturam luteam hanc plantam adhibent.

Obs. Rhexiae lutescenti reliquis affinior, sed ab illa differt setis rigidioribus; foliis magis confertis, angustioribus, marginibus revolutis, oblongo-linearibus; petalis obovatis, minus obliquis, obscurè violaceis; antheris ad basim anticè calcaratis; aliisque notis.

Explic. Icon. 1 Petala quatuor. 2 Stamen anticè conspectum. 3 Stamen lateraliter visum. 4 Pistillum intra calycem. 5 Pistillum. 6 Capsula. 7 Eadem valvulis patentibus receptacula ostendens. 8 Semina. 9 Semen auctum.

RHEXIA dichrananthera. Icon. CCCXX. *Fig. a.*

4. R. foliis ovatis quinquenervibus, pedunculis subcorymbosis, petalis patentibus roseis.

Planta suffruticosa, pilosa, tripedalis.

Radix ramosa, fibrillosa.

Caulis erectus, ramosissimus, teres, infernè glaber, nitidus, nodosus.

Rami consimiles: *teneri* purpurei, tetragoni, foliosi.

Folia opposita, petiolata, ovata, quinquenervia, integerrima, tenuia, nervis lateralibus basi folii coalitis, intermediis ultra basim coadunatis, utplurimum pollicaria, latitudine semipollicari.

Petioli bilineares, purpurei.

Pedunculi terminales axillaresque, triflori corymbosique; foliolis foliis consimilibus, deciduis stipati.

Flores octandri.

Calycis *Tubus* oblongus, octonervis, virescens. *Limbus* quadripartitus, purpureus, patens: *laciniis* ovatis, acutis, persistentibus.

Petala quatuor, obovata, rosea, aliquando alba: laciniis limbi paulò longiora, patentissima.

Stamina octo, purpurea. *Antherae* furcatae; *laciniâ longiori* subulatâ, luteâ, apice poriferâ; *alterâ breviori* purpureâ, lineari, basi attenuatâ, clausâ.

Germen pilis raris fasciculatis.

Capsula quadrilocularis, 4valvis: *valvulae* ad apicem posticâ parte pilis raris fasciculatis terminatae.

Reliqua, ut in Charactere generico.

Habitat in silvis *Cuchero* et *Muña*.

Floret Julio, et Augusto.

Obs. Affinis Rhexiae villosae. Aublet *p. 334. tab. 129.*

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Petala. 3 Calyx scissus cum staminibus. 4 Stamina. 5 Pistillum. 6 Capsula intra calycem. 7 Eadem transversim secta. 8 Eadem à calyce libera. 9 Capsula aperta cum receptaculo. 10 Semina. 11 Semen auctum.

RHEXIA echinata. Icon. CCCXIX. *Fig. b.*

5. R. foliis ovatis quinquenervibus subtus lanuginosis supra echinatis, pedunculis uni-trifloris, petalis magnis patentissimis violaceis.

Frutex biorgyalis, echinatus.

Caulis erectus, ramosissimus, teres, geniculatus, glaber, cortice exteriori cinereo-fusco, secedente, interiori nitido-ferrugineo.

Rami consimiles: *teneri* obscurè tetragoni, alternatim compressiusculi, foliosi.

Folia opposita, petiolata, patentia, ovata, acuta, subtus lanuginosa, supra nitida, echinata, quinquenervia, integerrima, nervis lateralibus ultra basim coadunatis, utplurimum pollicaria, latitudine semipollicari.

Petioli sesquilineares, supra canaliculati.

Pedunculi axillares, terminales, et ex dichotomiis, solitarii, saepius 1-3flori, rarius 5-9flori.

Pedicelli breves, ad medium bifolii; foliolis deciduis.

Flores magni, decandri, cernui erectique.

Calyx extus densè echinatus: *Tubus* globosus: *Limbus* profundè quinquefidus: *laciniis* erectis, basi coarctatis, lanceolatis, persistentibus, internè à medio ad apicem echinatis.

Petala quinque, patentissima, cuneiformia, parum obliqua, laciniis calycis triplò longiora, obtusissima, violacea.

Stamina decem, petalis dimidio breviora. *Filamenta* subulata, violacea. *Antherae* luteae, falcatae, apice poro pollen effundentes, antice canaliculatae, undulatae, prope basim coarctatae.

Germen acuminibus quinque, echinatis, brevibus terminatum. *Stylus* violaceus. *Stigma* obtusum.

Capsula intra tubum calycis, ovalis, pentagona, quinquesulcata: *valvulis* septiferis, ad apicis posticam partem densè echinatis.

Semina numerosa, ferruginea, minima, subcuneiformia, veluti cochleata.

Reliqua, ut in Charactere generico.

Habitat copiosè ad *Muña* in collibus altis ventosis.

Floret Majo, Junio et Julio.

Obs. Flores nonnullos octandros, et dodecandros offendimus.

Explic. Icon. 1 Flos absque petalis. 2 Petalum. 3 Stamen. 4 Capsula intra calycem. 5 Eadem absque calyce. 6 Capsula patens cum receptaculo. 7 Semina. 8 Semen auctum.

RHEXIA flexuosa. Icon. CCCXX. *Fig. b.*

6. R. foliis lanceolatis serrulatis quinquenervibus, pedunculis corymboso-dichotomis, petalis albis parvis reflexis.

Planta suffruticosa, hirsutissima, quadripedalis.

Caulis erectus, ramosissimus, obscurè tetragonus, retrorsum scabriusculus.

Rami divergentes, flexuosi, longissimi, tetragoni, geniculati.

Folia opposita, petiolata, lanceolata, acuta, quinquenervia, serrulata, utplurimum tripollicaria, latitudine pollicari et ultra: nervis tribus intermediis basi coadunatis; duobus lateralibus ultra basim coalitis.

Petioli bilineares, supra leviter canaliculati.

Pedunculi *axillares* solitarii, longitudine ferè foliorum: *terminales* 1-2-3nique; dichotomi, multiflori.

Pedicelli uniflori, bracteolis subulatis, parvis suffulti, in flore erecti, in fructu cernui.

Flores parvi, decandri.

Calycis laciniae subulatae, recurvatae, longae, persistentes, intus glabrae.

Petala quinque, obovata, reflexa, alba, laciniarum calycis duplò longiora, glabra.

Stamina longitudine ferè petalorum: *Filamenta* glabra, purpurascentia. *Antherae* flavae, lineari-subulatae.

Germen setarum fasciculis quinque supernè obsitum. *Stylus* purpureus, longitudine staminum. *Stigma* capitatum, obscurè quinquestriatum, flavescens.

Capsula subrotundo-ovata, quinquelocularis, quinquevalvis: *valvulae* ad apicis posticam partem setis numerosis, imbricatis, subfasciculatis obsitae.

Semina minima, flavescentia.

Habitat copiosè in *Chinchao*, *Cuchero*, *Muña*, *Pillao*, *Iscutunam* et *Pozuzo* runcationibus et collibus.

Floret à Majo ad Octobrem.

Explic. Icon. 1 Flos integer. 2 Calyx cum pistillo. 3 Petalum. 4 Stamen. 5 Capsula intra calycem. 6 Eadem

à calyce libera. 7 Capsula aperta, valvulis expansis receptaculum exhibens. 8 Valvula aucta. 9 Receptaculum auctum. 10 Semina. 11 Semen auctum.

RHEXIA OCHYPETALA. Icon. CCCXXI. *Fig. a.*

7. R. foliis lanceolatis quinquenervibus, pedunculis trifloris, petalis magnis acumine parvo patentissimis purpureis.

Frutex triorgialis, hirsuto-hispidus.

Caulis erectus; infernè teres, glaber; supernè obsoletè tetragonus, hispido-scaber, geniculatus, ramosissimus.

Rami patentes, consimiles: *teneri* acutè tetragoni, hirsuti, foliosi.

Folia opposita, petiolata, patenti-deflexa, lanceolata, acuta, quinquenervia, integerrima, supra hispida, subtus hirsuta, utrinque retrorsum scabra, utplurimum bipollicaria, latitudine semipollicari et parum ultra; nervis lateralibus ultra basim coalitis, tribus intermediis basi coadunatis.

Petioli 2-3lineares, supra leviter canaliculati.

Pedunculi triflori: *axillares* solitarii; *terminales* terni.

Pedicelli laterales foliolo stipati.

Flores magni, decandri, ante explicationem bracteis duabus, ovalibus, concavis, purpureis, hirsutis, caducis tecti.

Calyx hirsutus, purpurascens; laciniis acutis, simul cum petalis, Staminibus et Stylo deciduis.

Petala quinque, obovata, acuminata, calyce quadruplò longiora, ampla, purpurea, patentissima.

Filamenta decem, purpurea, filiformia, erecta, longitudine calycis, hispida. *Antherae* subulatae, incurvatae, intus plicatae, basi glandulis luteis, longitudine petalorum, apice poro unico pollen effundentes.

Germen fasciculis quinque setarum numerosarum coronatum, purpurascens. *Stylus* purpureus, basi hirsutus, antherarum longitudine, apice curvato. *Stigma* parvum, obtusum, obsoletè quinquestriatum, luteum.

Capsula ovata, tubo calycis subgloboso, acuminibus quinque, parvis, à laciniarum casu provenientibus coronato, obtecta, quinquelocularis, 5 valvis.

Semina plurima, obovato-reniformia. *Receptacula* lunata.

Habitat in *Chinchao* praerupto, copiosè ad *Macora*, *Rosa-pata*, *Machaynio* tractus, et in *Pillao* montibus apertis prope *Iscutunam.*

Floret à Majo ad Septembrem.

Vernacule in *Cuchero* appellatur *Chinchincca.*

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Stamina. 3 Pistillum cum setarum fasciculis. 4 Fasciculi setarum. 5 Pistillum absque setarum fasciculis. 6 Capsula intra tubum Calycis. 7 Capsula à Calyce libera. 8 Eadem longitudinaliter dehiscens. 9 Capsula transversim secta intra Calycem. 10 Semina. 11 Semen auctum.

FUCHSIA. Linn. *Gen. plant. pag.* 255.

CHARACTER GENERICUS REFORMATUS.

Cal. *Perianthium* infundibuliforme, coloratum, superum, deciduum. *Tubus* basi subrotundâ, ultra coarctatus, inde sensim ampliatus, patulus, internè octonervis; nervis à basi filamentorum ad tubi basim decurrentibus: *Limbus* tubo brevior, quadripartitus: *Laciniis* semilanceolatis, acutis, patentiusculis.

Cor. *Petala* quatuor, suboblonga, fauci tubi calycis insidentia, laciniis, quibus alternantia, breviora.

Nect. Glandula octosulcata, germen coronans, tubi calycis basim dilatans.

Stam. *Filamenta* octo, filiformia, erecta, fauci tubi calycis inserta; quorum quatuor petalis alternantia, longiora. *Antherae* oblongae, incumbentes, biloculares, utrinque longitudinaliter dehiscentes.

Pist. *Germen* inferum, oblongum, obsoletè tetragonum. *Stylus* filiformis, supernè crassior, staminibus paulò longior. *Stigma* capitato-tetragonum, leviter quadrifidum.

Per. *Bacca* oblonga, obtusè tetragona, leviter umbilicata, quadrisulca, quadrilocularis. *Dissepimenta* membranacea.

Sem. numerosa, minima, obovato-cuneiformia, nidulantia: *Receptacula* dissepimentorum oppositorum sinubus utrinque adhaerentia.

Obs. 1. Glandula nectarii octosulcata, aut si mavis, Glandulae octo intimè connexae. In Fuchsiâ apetalâ Corolla deest, sed tamen in reliquis characteribus generis cum ceteris Speciebus exactè congruit. In Fuchsia macrostema, flores paucos pentandros, decandros aliquando offendimus.

Obs. 2. Ad hoc Genus referenda est *Quelusia* Vandelli *Florae Lusitanic.* et *Brasiliensis Specimen pag.* 23. *tab.* 2. *fig.* 10.

Habitus.

Frutices aut suffrutices. Caulis teres, ramis teneris, tetragonis aut trigonis, in *Fuchs. simplicicauli* simplicissimus, in reliquis verò ramosus. Folia opposita, terna quaternaque, stipulata; in Fuchs. apetala sparsa; Stipulae interfoliaceae. Pedunculi aut axillares solitarii, vel terminales aggregati, uniflori, aut multiflori, racemosi aut corymbosi aut umbellati. Flores penduli aut nutantes. Fructus dependentes.

FUCHSIA SERRATIFOLIA. Icon. CCCXXIII. *Fig. a.*

1. F. pedunculis axillaribus unifloris, foliis 3-4nis oppositisque oblongis serratis.

Planta frutescens, 2-3ulnaris.

Caulis erectus, parum ramosus, teres.

Rami patentes, teretes: *teneri* 2-3-4sulcati, cernui.

Folia opposita, 3-4naque, patentissima, petiolata, oblonga, serrata, venosissima, subtus leviter pubescentia, utplurimum sesquipalmaria, latitudine bipollicari; venis purpureo-rubicundis: nonnulla ovato-lanceolata.

Petioli rubri, utplurimum pollicares, supra canaliculati.
Stipulae interfoliaceae, parvae, semilanceolatae, deciduae.
Pedunculi axillares, solitarii, foliis dimidio duplòque breviores, teretes, uniflori.
Flores penduli, sesquipollicares et ultra.
Calyx roseo-ruber, villosiusculus. *Tubus* interius ad basim villosus: *Limbi* laciniis à medio ad apicem viridibus.
Petala punicea, ovato-oblonga, laciniis calycis breviora.
Glandula nectarii virescens, octosulcata, aut si mavis, Glandulae octo coalitae.
Stamina quatuor, longitudine petalorum, reliqua alternantia, longitudine laciniarum calycis: *Filamenta* rubra. *Antherae* luteae, subcordatae, longiusculae.
Germen rubrum, oblongum, villosum. *Stylus* staminibus longior, ruber. *Stigma* capitatum, quadrilobum.
Bacca purpurascens, oblonga, subpollicaris, pendula.
Semina fulvescentia.
Habitat ad *Muña* in locis subhumidis et subumbrosis.
Floret à Junio ad Septembrem.
Obs. Planta, dum florida, perpulchra.
Explic. Icon. 1 Calyx longitudinaliter exscissus, Stamina ostendens. 2 Petala. 3 Pistillum et Glandula. 4 Bacca transversim secta. 5 Semina.

FUCHSIA denticulata. Icon. CCCXXV. *Fig. b.*

2. F. pedunculis axillaribus unifloris, foliis ternis oblongo-lanceolatis denticulatis.
Frutex biorgyalis, dum floridus pulcherrimus.
Caulis erectus, teres, cinereus, ramosissimus.
Rami terni, trigoni, purpurei, patentes.
Folia terna, patentia, petiolata, oblongo-lanceolata, denticulata, venosissima, utplurimum bipalmaria, nervo posticè villoso.
Petioli purpurei, utplurimum pollicares.
Stipulae interfoliaceae, patentes, acutae, deciduae.
Pedunculi axillares, solitarii, foliis breviores, teretes uniflori.
Flores magni, nutantes.
Calyx purpureus, sesquipollicaris: *Tubus* basi ventricosus, internè à medio ad basim villosus. *Limbi* laciniis semilanceolatis, erecto-patentibus, apice virescentibus.
Petala punicea, obovata, laciniis calycis breviora.
Glandula nectarii lutescens, octosulcata.
Filamenta purpurea. *Antherae* oblongae, luteae.
Stylus purpureus. *Stigma* clavatum, quadrilobum.
Bacca purpurea, quadrisulca, glaberrima.
Semina parva, cuneiformia, rubescentia.
Habitat in *Huassa-huassi* et *Cheuchin* ripis et praeruptis calidis.
Floret à Martio ad Octobrem.
Vernacule: *Mollo-Ccantu*, id est *Planta formosa.*
Vires et Usus: Baccae edules; nonnulli ex illis conditum gratum cum saccharo formant.
Obs. Haec Species à praecedenti recedit foliis oblongo-lanceolatis, ternis, denticulatis, floribus nutantibus, petalis obovatis, antheris oblongis, baccis obovatis, quibus notis potius pro varietate, quàm pro specie distincta, censeri debet.
Explic. Icon. 1 Calyx longitudinaliter scissus Petala et Stamina ostendens. 2 Pistillum cum glandulis. 3 Bacca. 4 Eadem transversim secta. 5 Semina.

FUCHSIA ovalis. Icon. CCCXXIV. *Fig. a.*

3. F. pedunculis axillaribus racemosis foliosis, foliis ternis oppositisque ovalibus acutis utrinque pubescentibus.
Planta frutescens, triulnaris.
Caulis erectus, teres, ramosus.
Rami patentissimi, teretes: *teneri* pubescentes, purpurascentes, obsoletè tetragoni, trisulci, succosi.
Folia terna, oppositaque, patentissima, petiolata, ampla, ovalia, utrinque acuta, obsoletè denticulata, pubescentia, venosissima, supra nitidiora, mitia: nervo puniceo, venis incurvatis: bipalmaria, latitudine palmari.
Petioli punicei, uni-bipollicares, pubescentes, supra canaliculati.
Stipulae interfoliaceae, subulatae, breves, deciduae.
Racemi axillares, solitarii, foliosi, patentissimi, flexuosi: foliolis oblongo-lanceolatis.
Pedunculi axillares, uniflori, foliis breviores.
Calyx puniceus: *Tubus* basi inflatâ, subrotunda, ultra coarctatus, supernè sensim ampliatus: *Limbi* laciniis lanceolato-subulatis, patentissimis.
Petala punicea, laciniis calycis dimidio breviora, ovata, acuta.
Glandula octangularis, punicea.
Filamenta rubra, longitudine petalorum. *Antherae* ovatae, basi excavatae.
Stylus staminibus paulò longior. *Stigma* leviter quadrilobum.
Bacca rubro-purpurea, oblonga, obtusè tetragona.
Semina minima, lutescentia.
Habitat in nemoribus *Muña.*
Floret Junio, Julio et Augusto.
Explic. Icon. 1 Calyx scissus cum staminibus. 2 Petala. 3 Pistillum. 4 Bacca transversim secta. 5 Semina.

FUCHSIA corymbiflora. Icon. CCCXXV. *Fig. a.*

4. F. pedunculis terminalibus ternis corymbosis foliosis, foliis oblongo-lanceolatis.
Planta frutescens, orgyalis, pubescens, mitissima.
Caulis erectus, teres, parum ramosus, glaber, cinereus.
Rami patentes: teneri purpurei, obsoletè tetragoni.
Folia opposita, petiolata, erecto-patentia, oblongo-lan-

ceolata, leviter denticulata; aliquando oblonga, acuminata, integerrima.

STIPULAE interfoliaceae, subulatae, parvae, deciduae.

PEDUNCULI terminales, terni, foliosi, dependentes, punicei, foliolis lanceolatis.

FLORES corymbosi, axillares, pedicellati.

PEDICELLI uniflori.

CALYX bipollicaris, puniceus: *Tubus* longus, versus basim tenuis, supernè dilatatus subventricosus: *Limbi* laciniis semilanceolatis.

PETALA oblongo-lanceolata, laciniis calycis dimidio breviora, punicea.

GLANDULA nectarifera virescens.

STAMINA petalorum longitudine. *Antherae* ovatae, luteae.

STYLUS laciniis calycis longior. *Stigma* capitatum, quadrilobum.

BACCA purpureo-rubra, ovato-oblonga, tetragona, 4linearis, latitudine bilineari, et ultra.

HABITAT in *Chinchao* et *Muña* nemoribus, locis umbrosis.

FLORET Augusto, et Septembri.

Explic. Icon. 1. Calyx longitudinaliter scissus cum Staminibus. 2 Petala. 3 Pistillum cum glandulis. 4 Germen. 5 Bacca transversim secta. 6 Semina.

FUCHSIA MACROSTEMA. ICON. CCCXXIV. *Fig. b.*

5. F. pedunculis axillaribus unifloris, foliis ternis ovatis acutis dentatis.

T'HILCO. FEUILL. *Hist. des plant. tom. 3. pag. 64. planch. 47.*

FRUTEX biorgyalis, glaberrimus.

CAULIS erectus, teres, ramosissimus; *cortice exteriori* pallescente, granuloso, secedente; *interiori* ferrugineo.

RAMI consimiles: *teneri* graciles, terni.

FOLIA terna, rarius quaterna, breviter petiolata, carinata, patenti-reflexa, ovata, acuta, dentata; nonnulla lanceolato-elliptica.

STIPULAE interfoliaceae, minimae.

PEDUNCULI axillares, solitarii, foliis longiores, tenues, uniflori.

FLORES penduli, plerumque octandri, rarius decandri.

CALYX puniceus: *Tubus* brevis, ultra medium coarctatus, inde ampliatus, internè glaber: *Limbi* laciniis patentibus, lanceolatis.

PETALA quatuor, caerulea, obovata, laciniis limbi duplo breviora.

GLANDULA octosulcata.

FILAMENTA fauci tubi inserta, capillaria, laciniis calycis longiora. *Antherae* oblongae, basi bifidae.

STYLUS staminibus paulò longior. *Stigma* capitatum, quadrifidum, laciniis adpressis.

BACCA oblonga, obscurè purpurea, tetragona, semipollicaris, pendula.

HABITAT in *Conceptionis Chiae* locis uliginosis, praesertim in *Quebrada de Carcamo.*

FLORET á Junio ad Aprilem.

VERNACULE T'hilco et *Chilco.*

VIRES ET USUS: Incolae, adversus febres inflammatorias, *Congo* et *Chavalongo* nuncupatas, infusione et decocto hujus plantae utuntur, et ad sanguinis aestum temperandum subministrant. Lignum ad tincturam atram optimum.

Explic. Icon. 1 Bacca transversim secta. 2 Semina.

FUCHSIA DECUSSATA. ICON. CCCXXIII. *Fig. b.*

6. F. pedunculis axillaribus unifloris, foliis ternis oppositisque lanceolatis, obsoletè denticulatis.

FRUTEX tripedalis, gracilis, pulcher.

CAULIS erectus, teres, ramosissimus, subferrugineus; aliquando granulosus.

RAMI decussati, saepius terni, patentissimi, apicibus deflexis; *teneri* pulverulento-lanati, compressiusculi, aliquando subtrigoni.

FOLIA decussata; saepius terna, inaequalia, petiolata, lanceolata, saepe lanceolato-elliptica oblongaque, utrinque pubescentia, denticulata, venosa, utplurimum sesquipollicaria, latitudine semipollicari.

PETIOLI foliis triplò breviores, tenues.

STIPULAE interfoliaceae, subulatae, reflexae, deciduae.

PEDUNCULI axillares, solitarii, uniflori, filiformes, graciles, plerumque foliis longiores.

FLORES dependentes, parvi.

CALYX roseo-puniceus: *Tubus* limbi ferè longitudine: *Limbus* patulus; laciniis semilanceolatis, acutis.

PETALA coccinea, lanceolata, laciniis calycis longitudine.

GLANDULA octosulcata, virescens.

FILAMENTA rubra. *Antherae* luteae, oblongae.

STYLUS rubicundus, staminibus paulò longior. *Stigma* capitatum, leviter quadrifidum.

BACCA rubra, oblonga, obtusè tetragona.

SEMINA cuneiformia, minima, lutescentia.

HABITAT copiosè in *Muña* umbrosis et subhumidis.

FLORET Julio, Augusto et Septembri.

Explic. Icon. 1 Calyx. 2 Petala. 3 Calyx longitudinaliter scissus cum staminibus. 4 Pistillum et Glandula. 5 Bacca transversim secta. 6 Semina.

FUCHSIA ROSEA.

7. F. pedunculis axillaribus unifloris, foliis fasciculatis inaequalibus alternisque lanceolatis integerrimis.

FRUTEX biorgyalis, erectus, ramosus, teres.

RAMI consimiles, fragiles.

FOLIA ex eodem centro octo, inaequalia, petiolata, lanceolata, integerrima, glabra; *superiora* alterna, consimilia.

PEDUNCULI axillares, solitarii, uniflori.

FLORES deflexi.

Calyx quadrifidus, roseus.
Petala quatuor, obcordata, calyce breviora, rosei coloris.
Bacca tetragona.
Habitat in *Regni Chilensis* praeruptis, ad *Valparaiso* portum.
Floret Octobri, et Novembri.

FUCHSIA simplicicaulis. Icon. CCCXXII. *Fig. a.*

8. F. pedunculis terminalibus quaternis unifloris involucratis, foliis quaternis lanceolato-linearibus.
Planta suffruticosa, glaberrima, quadripedalis.
Caulis simplicissimus, filiformis, dependens: aliquando ad radicem uno alterove ramo consimili.
Folia quaterna, verticillis remotis, brevissimè petiolata, lanceolato-linearia, obsolete denticulata, bi-tripollicaria, latitudine vix quadrilineari; denticulis remotis.
Stipulae interfoliaceae, subulatae, deciduae.
Pedunculi terminales, quaterni, uniflori, brevissimi, involucrati.
Involucrum tetraphyllum: foliolis oblongo-lanceolatis, concavis, utrinque leviter pubescentibus.
Flores penduli.
Calyx sesquipollicaris, roseus, extus pubescens: *Tubus* infernè tenuis, supernè ampliatus: *Limbi* laciniis semilanceolatis.
Petala laciniis calycis breviora, punicea.
Stamina petalorum longitudine. *Antherae* oblongae, basi bifidae, luteae.
Stylus longitudine staminum. *Stigma* capitatum, quadrifidum.
Bacca pubescens, oblonga, tetragona.
Habitat in *Muña* silvis.
Floret Augusto, et Septembri.

FUCHSIA apetala. Icon. CCCXXII. *Fig. b.*

9. F. pedunculis terminalibus corymboso-umbellatis, foliis ovatis acuminatis integerrimis.
Planta fruticosa, per arborum truncos radicans, villosa.
Caulis parum ramosus, teres, cortice multiplici secedente, ferrugineo, nitido tectus, radicibus stoloniformibus, longissimis, arboribus adhaerens.
Rami dependentes, densè verrucosi; *teneri* breves, tortuosi, foliiferi et floriferi.
Folia sparsa, conferta, petiolata, ovata, acuminata, integerrima, mitissima, subtus purpurascentia, decidua, venosa, ut plurimum sesquipalmaria, latitudine palmari.
Petioli pollicares, densè villosi.
Stipulae subulatae, parvae, deciduae, laterales.
Pedunculi terminales axillaresque, teretes, corymboso-umbellati, pollicares, uniflori.
Flores dependentes, magni.
Calyx bipalmaris, subclavatus, ruber, extus pubescens, limbo quadrifido: *laciniis* parvis, ovatis, dilutè luteis.
Petala nulla.
Stamina octo. *Antherae* oblongae, luteae.
Stylus calyce longior. *Stigma* capitatum, quadrifidum.
Bacca oblonga, tetragona, rubra.
Habitat copiosè in *Huassahuassi* et *Muña* nemoribus.
Floret Octobri, et Novembri.
Explic. Icon. 1 Flos integer longitudinaliter scissus.

MENDA TYPOGRAPHICA.

Pag.	*lin.*			
6	9	praecedenti	*lege*	sequenti.
7	49	Bobes		Boves.
8	30	oleaginosa		oleaginea.
18	2	majoras pithamaea		majora spithamaea.
20	9 16	verticillat		verticillati.
20	31	oleaginosus		oleagineus.
21	4	caniculati		canaliculati.
30	26	praecotior		praecocior.
54	12	collitur		colitur.

INDEX

GENERUM, ET SPECIERUM.

A

	Pag.	Icon.
Achras caimito.	18	240
lucuma.	17	239
Actinophyllum acuminatum.	74	310
angulatum.	73	307
conicum.	74	309
pedicellatum.	73	308
pentandrum.	75	311
Aechmea paniculata.	37	264
Agave americana.	66	
Aloe perfoliata.	67	
Alstroemeria anceps.	61	
bracteata.	61	291
coccinea.	62	291
cordifolia.	64	290
crocea.	61	
denticulata.	62	293
distichifolia.	60	287
fimbriata.	63	293
formosissima.	64	296
haemantha.	60	
latifolia.	64	295
ligta.	59	
lineatiflora.	60	289
macrocarpa.	63	294
peregrina.	58	288
purpurea.	63	294
revoluta.	59	
rosea.	61	
salsilla.	61	
secundifolia.	60	290
setacea.	62	292
tomentosa.	62	292
versicolor.	59	
Alzatea verticillata.	20	241
Amaryllis aurea.	56	286
bicolor.	57	
chilensis.	56	
flammea.	56	286
miniata.	57	
Anthericum caeruleum.	67	
coarctatum.	67	299
eccremorrhizum.	67	301
glaucum.	68	
plumosum.	68	300
Ayenia pusilla.	11	

B

	Pag.	Icon.
Berberis flexuosa.	52	281
latifolia.	52	282
lutea.	51	280
monosperma.	52	
tomentosa.	52	282
virgata.	51	281
Bonapartea juncea.	38	262
strobilantha.	39	263
Bowlesia incana.	28	268
lobata.	28	251
palmata.	28	251
Bromelia ananas.	32	
bicolor.	33	
incarnata.	32	255
sphacelata.	32	
Buttneria cordata.	9	
hirsuta.	10	
sulcata.	10	

C

	Pag.	Icon.
Ceanothus granulosus.	5	228
pubescens.	6	228
Cedrela odorata.	9	
Celastrus confertus.	7	
emarginatus.	6	229
macrocarpos.	8	230
verticillatus.	6	229
uncinatus.	7	230
Cervantesia tomentosa.	20	241
Cinchona acutifolia.	1	225
glandulifera.	1	224
lanceolata.	1	223
Conanthera bifolia.	68	301
Cosmibuena acuminata.	4	226
obtusifolia.	3	198
Crinum urceolatum.	58	287

D

	Pag.	Icon.
Dichondra repens.	23	

E

	Pag.	Icon.
Epilobium denticulatum.	78	314

	Pag.	Icon.
Evolvulus sericeus.	30	252
villosus.	30	253

F

Fragosa cladorrhiza.	27	250
corymbosa.	27	250
crenata.	27	249
multifida.	27	249
reniformis.	26	249
spinosa.	27	
Fuchsia apetala.	89	322
corymbiflora.	87	325
decussata.	88	323
denticulata.	87	325
macrostema.	88	324
ovalis.	87	324
rosea.	88	
serratifolia.	86	323
simplicicaulis.	89	322

G

Gilibertia umbellata.	75	312
Gumillea auriculata.	23	245
Guzmania tricolor.	38	261

H

Haenkea flexuosa.	8	231
Heliconia lingulata.	71	304
rostrata.	71	305
subulata.	70	303
Herreria stellata.	69	303
Hirtella racemosa.	5	227
Huertea glandulosa.	4	227
Hydrocotyle acutifolia.	25	248
citrodora.	26	
globiflora.	25	247
gracilis.	26	247
incrassata.	26	
multiflora.	24	246
quinqueloba.	25	248
tribotrys.	24	246
triflora.	24	245
Hydrolea crispa.	22	244
dichotoma.	22	244
urens.	21	243

I

Isidrogalvia falcata.	69	302

L

Lapageria rosea.	65	297
Loranthus acuminatus.	49	
acutifolius.	48	274
cuneifolius.	46	276
dichotomus.	45	274
ellipticus.	47	276
glaucus.	45	275
grandiflorus.	45	273
heterophyllus.	48	273
lanceolatus.	47	278
ovalifolius.	50	277
polystachyus.	50	
punctatus.	47	277
retroflexus.	49	279
sarmentosus.	49	278
tetrandrus.	46	275
verticillatus.	47	
Luzuriaga radicans.	66	298

M

Malesherbia thyrsiflora.	30	254
Myoschylos oblonga.	20	242

N

Narcissus Amancaes.	53	283

O

Oenothera dentata.	82	317
grandiflora.	78	317
mollissima.	80	
multicaulis.	80	317
prostrata.	79	315
subulata.	82	316
tenella.	80	316
tenuifolia.	81	317
virgata.	79	315
Ormithogalum corymbosum.	68	300

P

Pancratium coccineum.	54	285
flavum.	54	284
latifolium.	54	284
littorale.	53	
maritimum.	53	
recurvatum.	54	285
ringens.	53	283
variegatum.	55	

	Pag.	Icon.
Pancratium viridiflorum.	55	
Pitcairnia ferruginea.	36	
lanuginosa.	35	258
paniculata.	36	260
pulverulenta.	36	259
Pourretia coarctata.	34	
lanuginosa.	33	256
pyramidata.	34	257
Polyanthes tuberosa.	67	

R

Rhexia dicrananthera.	84	317
echinata.	85	319
flexuosa.	85	321
lutescens.	84	319
ochypetala.	86	321
quinquenervis.	83	318
rosmarinifolia.	84	317
Ribes albifolium.	12	232
cuneifolium.	13	233
glandulosum.	13	233
macrobotrys.	12	232
punctatum.	12	233
viscosum.	13	
Richardia pilosa.	50	279
Rhus striatum.	29	252
Rumex crispus.	72	

S

Sauvagesia erecta.	11	
Scilla biflora.	69	302
Staphylaea heterophylla.	29	253
Stereoxylon corymbosum.	14	234
cuneifolium.	16	238
paniculatum.	16	238
Stereoxylon patens.	13	234
pendulum.	16	237
pulverulentum.	15	237
resinosum.	14	235
revolutum.	15	236
rubrum.	15	236
virgatum.	14	235
Swertia umbellata.	21	242

T

Tillandsia biflora.	41	268
capillaris.	42	271
heptantha.	41	
maculata.	40	267
parviflora.	41	269
purpurea.	41	270
recurvata.	42	271
rubra.	40	266
sessiliflora.	42	271
tetrantha.	39	265
virescens.	43	270
usneoides.	43	
Tovaria pendula.	73	306
Tradescantia latifolia.	44	272
parviflora.	43	272
Triglochin ciliatum.	72	
striatum.	72	
Tropaeolum bicolorum.	76	313
ciliatum.	77	
dipetalum.	77	313
majus.	76	
peregrinum.	76	
tuberosum.	77	314

V

Villaresia mucronata.	9	231

INDEX
NOMINUM VERNACULORUM.

A

	Pag.
Acelgas.	72
Achupalla.	34
Amancae.	56
Amancaes.	53
Ananas.	32
Azucena de Lima.	59
Azuceno.	4
Azul Champahra.	66

B

Barbas.	43
Barbasco.	43

C

Cachiquis.	83 84
Caimito.	18
Caimitos.	18
Campanillas azules de Lomas.	30
Cape-cape.	4
Capecito.	4
Cape negro.	4
Capuchina.	76
Cardo de Lomas.	42
Cardon.	35
Cardon de Lomas.	37
Cascarilla negrilla.	1
Ccarhuascassa.	51
Cedro.	9
Cedro macho.	5
Chachacoma.	15
Chachas.	15
Chihuanhuaita.	54
Chilco.	88
Chinchincca.	86
Chocllocopa.	61
Chupon.	33
Chupones.	33
Codocoypo.	21
Coilon.	48
Copihue.	65
Corona de Rey.	53

Ç

Çahopra.	43

E

	Pag.
Enlaora.	48

F

Flor de cuentas.	68
del clarin.	55
Frutilla del monte.	27

G

Guadalagüen.	79
Gualtata.	72
Guillipatagua.	9

H

Hamancae.	56
Hamancae de Antibo.	56
de dos colores.	58
encarnado.	57
Hamancaes.	53
Hamancayos.	56
Hatun-Mocma.	45
Mucma.	45
Huaccampe.	52
Huachuacsso.	42 43
Huayhuaço.	42 43
Hueccle.	40
Huehle.	40
Huehle encarnado.	40

I

Ictriho.	46 47
Illcu.	67
Illmu.	69
Itiu.	46 47

K

Kaque.	71
Kaqui.	71

L

Lacre de montaña.	57
Lengua de vaca.	72
Liga.	47 49

Pag.

LIGTU. 59
LIUN. 15
LIUTU. 59
LUCUMO. 18
LUCUMAS. 18
LUN. 15

M

MAGTHUM. 7
MAGUEY mexicano. 66
MAHRA. 34
MALLA. 76
MARDOÑO. 16
MARGARITAS blancas. 67
olorosas. 67
MASSUA. 77
MASSUAS. 77
MASTUERZO indiano. 76
MAYTEN. 7
MICHTRIO. 46
MUCMA. 45
MOLLO-CCANTU. 87
MONTE-MASSUA. 77
MUCMA. 45

Ñ

ÑIPA. 15

O

OREJA de Abad. 24 25

P

PALO amarillo. 52
PAXARITOS amarillos. 76
PEREGRINA. 59
PETACONES. 24 25
PIGNA. 7
PIÑA. 32
PIÑAS. 32
PILILLAS. 53
PINI-PINI. 62
PITA. 66
PUCCA-HUEHLE. 40
PUCA-KAQUI. 71
PUMACHILCA. 16
PURUM-KAQUE. 71
KAQUI. 71
PUYA. 35

Q

QUILA. 70
QUINCHTRAL. 46

R

RURAMA. 7

S

SALSAPARRILLA. 70
SALVAGE. 43
SALVAGE macho. 43
SALVAGINA. 43
SIETE CAMISAS. 15
SIUBA. 14
SUMAC-HUAITA. 64

T

TASSTA. 14
T'ILCHO. 88

V

VARA de Jesé. 67

Y

YERBA de la Apostema. 79
de la Araña. 10
del Clavo cimarrona. 80
de San Martin. 12

Z

ZABILA. 67
ZARZAPARRILLA. 70

J. Galvez del. F. M. Torre incid.

CINCHONA *lanceolata*.

J. Rivera del.

J. M. Vega inc.

CINCHONA *glandulifera*.

Is. Galvez del. et inc.

CINCHONA *acutifolia*.

Ic. Galvez delin. et incid.

COSMIBUENA *obtusifolia.*

Ls. Galvez del.

P. N. Gascó inc.

COSMIBUENA *acuminata*.

J. Galvez del. J. Salas incid.

a HUERTEA *glandulosa*. b HIRTELLA *racemosa*.

I. Galvez del. F. Salas incid.

a CEANOTHUS *granulosus.* b CEANOTHUS *pubescens.*

J. Brunete del.

F.M. Terre inc.

a CELASTRUS *emarginatus.* b CELASTRUS *verticillatus.*

J. Brunete et I. Galvez del.

Cupe Maré incid.

a CELASTRUS *uncinatus.*

b CELASTRUS *macrocarpos.*

I. Galvez del.

J. Querol incid.

a HAENCKEA *flexuosa*. b VILLARESIA *mucronata*.

I. Galvez del. V. P. Perez incid.

a RIBES *macrobotrys.* b RIBES *albifolium.*

I. Galvez del.

J. Querol incid.

a RIBES *punctatum*. b RIBES *glandulosum*. c RIBES *cuneifolium*.

Is. Galvez del.

V.P. Perez inc.

a STEREOXYLON *corymbosum.*

b STEREOXYLON *patens.*



Is. Galvez del.

Cypr. Marè inc.

a STEREOXYLON *resinosum*.

b STEREOXYLON *virgatum*.



J. Rubio del. F. M. Torre inc.

[a] STEREOXYLON *revolutum.*

[b] STEREOXYLON *rubrum.*

Is. Galvez et J. Rubio del.

P.N. Gasséine.

[a] STEREOXYLON *pulverulentum*. [b] STEREOXYLON *pendulum*.

Ls. Galvez et Fr.o Pulgar del.

J. M. Bonifaz inc.

a STEREOXYLON *cuneifolium.*

b STEREOXYLON *paniculatum.*

Is. Galvez del.

J. M. Bonifaz inc.

ACHRAS *lucuma*.

Is. Galvez del. P.N. Gassé inc.

ACHRAS *caimito.*

J. Brunete et Ls Galvez del.

Nave. Cobo inc.

[a] ALZATEA *verticillata.*

[b] CERVANTESIA *tomentosa.*

Is. Galvez et Fr. Pulgar del.

Em. Alegre inc.

a MYOSCHYLOS *oblonga.*

b SWERTIA *umbellata.*

Is. Galvez delin. J. M. Bonifaz inc.

HYDROLÉA *urens.*

J. Brunete et F. Pulgar del.

B.m. Alegre inc.

a HYDROLEA *crispa*.

b HYDROLEA *dichotoma*.

Is. Galvez et J. Brunete del.

F.M. Torre inc.

a GUMILLEA *auriculata.*

b HYDROCOTYLE *triflora.*

I. Galvez et J. Brunete del.

J. M. Vera incid.

[a] HYDROCOTYLE *multiflora.*

[b] HYDROCOTYLE *tribotrys.*

Is. Galvez et F. Pulgar del. F.M. Torre inc.

a HYDROCOTYLE *globiflora.* b HYDROCOTYLE *gracilis.*



I. Galvez del.

Em. Alvarez inc.

[a] HYDROCOTYLE *acutifolia.* [b] HYDROCOTYLE *quinqueloba.*





I. Galvez del.

P. N. Gasco incid.

a FRAGOSA *multifida.* b FRAGOSA *reniformis.* c FRAGOSA *crenata.*



I. Galvez et J. Rivera del.

P.N. Gascó inc.

a FRAGOSA *corymbosa.*

b FRAGOSA *cladorrhiza.*

J. Rubio del. Em. Navarro incid.

a BOWLESIA *palmata*. b BOWLESIA *lobata*.

Is. Galvez del.

R. Camaron inc.

a RHUS *striatum.*

b EVOLVULUS *sericeus.*

J. Brunete et L. Galvez del.

F.co Pansil incid.

[a] STAPHYLAEA *heterophylla.* [b] EVOLVULUS *villosus.*



Is. Galvez del. et inc.

MALESHERBIA *thyrsiflora.*

Is. Galvez. del.

P. N. Gascó inc.

BROMELIA *incarnata*.

CCLVI.

F. Pulgar del.

J.M. Vega incid.

POURRETIA *lanuginosa.*

J. Rivera del.

F. Pansil inc.

POURRETIA *pyramidata.*

Is. Galvez del. Alex. Blanco inc.

PITCAIRNIA *lanuginosa.*

F. Pulgar del.

F. Panfil inc.

PITCAIRNIA *pulverulenta.*

J. Brunete del.

V. P. Perez inc.

PITCAIRNIA *paniculata.*



Is. Galvez del.

F.M. Torre inc.

GUZMANIA *tricolor.*



L. Galvez del. et inc.

BONAPARTEA *juncea.*



I. Galvez del.

F. M. Torre inc.

BONAPARTEA *strobilantha.*

I. Galvez del.

F. Suria excud.

AECHMEA *paniculata.*

Is. Galvez del. et inc.

TILLANDSIA *tetrantha.*

J. Brunete delin. F. M. Torre incid.

TILLANDSIA *rubra.*

J. Brunete del. P.M. Terre inc.

TILLANDSIA *maculata*.

J. Brunete, et Is. Galvez del.

J. M. Bonifaz incid.

[a] BOWLESIA *incana*. [b] TILLANDSIA *biflora*.

Is. Galvez del. et inc.

TILLANDSIA *parviflora.*

Is. Galvez del. et incid.

a TILLANDSIA *purpurea.* b TILLANDSIA *virescens.*

a TILLANDSIA *recurvata.* b TILLANDSIA *sessiliflora.* c TILLANDSIA *capillaris.*

I. Galvez del. F.M. Torre inc.

a TRADESCANTIA *latifolia.* b TRADESCANTIA *parviflora.*

Is. Galvez del. J. M. Bonifaz inc.

[a] LORANTHUS *grandiflorus.* [b] LORANTHUS *heterophyllus.*

Is. Galvez del.

J. M. Bonifaz inc

[a] LORANTHUS *dichotomus.*

[b] LORANTHUS *acutifolius.*

Ts. Galvez del.

F.M. Terry inc.

[a] LORANTHUS *tetrandrus.* [b] LORANTHUS *glaucus.*

Is. Galvez et F. Pulgar dtd.

F. M. Torre incid.

a LORANTHUS *ellipticus.*

b LORANTHUS *cuneifolius.*

Is. Galvez del.

J. Salas incid.

[a] LORANTHUS *punctatus.* [b] LORANTHUS *ovalifolius.*

J. Brunete et Fr. Galvez del.

J. Bonifaz incid.

a LORANTHUS *sarmentosus.*

b LORANTHUS *lanceolatus.*

J. Brunete et Ls. Galvez del. J. Bonifaz incid.

a LORANTHUS *sarmentosus.* b LORANTHUS *lanceolatus.*

J. Brunete et Is. Galvez del. E. M. Torre incid.

[a] LORANTHUS *retroflexus.* [b] RICHARDIA *pilosa.*

F. Pulgar del.

J. Querol incid.

BERBERIS *lutea.*

Ls. Galvez del.

F. M. Torre inc.

[a] BERBERIS *flexuosa.*

[b] BERBERIS *virgata.*

Is. Galvez del. F.M. Turre inc.

[a] BERBERIS *latifolia*. [b] BERBERIS *tomentosa*.

J. Brunete et Is. Galvez del.

P. Pauli inc.

[a] NARCISUS *Amancaes.*

[b] PANCRATIUM *ringens.*

J. Brunete et F. Pulgar del.

V. P. Perez inc.

[a] PANCRATIUM *flavum*. [b] PANCRATIUM *latifolium*.

Is. Galvez et F. Pulgar del.

J. M. Benitez inc.

a PANCRATIUM *recruvatum.*

b PANCRATIUM *coccineum.*

Ls. Galvez et J. Brunete del.

Ls. Galvez inc.

a AMARYLLIS *aurea.*

b AMARYLLIS *flammea.*

Ic. Galvez et J. Brunete del. P. N. Gascó inc.

[a] ALSTROEMERIA *distichyfolia*. [b] CRINUM *urceolatum*.

Ls.Galvez del. et inc.

ALSTROEMERIA *peregrina*.



Fr. Fulgar del.

J. M. Benitez inc.

ALSTROEMERIA *lineatiflora*.

Is. Galvez del.

J. M. Bonifaz inc.

[a] ALSTROEMERIA *secundifolia.* [b] ALSTROEMERIA *cordifolia.*

Ls. Galvez del.

N. Cote inc.

[a] ALSTROEMERIA *coccinea.*

[b] ALSTROEMERIA *bracteata.*

Is. Galvez et F. Pulgar del. J.M. Bonifaz inc.

a ALSTROEMERIA *tomentosa* b ALSTROEMERIA *setacea.*

Is. Galvez del. J. Querol inc.

[a] ALSTROEMERIA *fimbriata.* [b] ALSTROEMERIA *denticulata.*

Is. Galvez et F. Pulgar del. Emm. Alcove incid.

[a] ALSTROEMERIA *purpurea.* [b] ALSTROEMERIA *macrocarpa.*

F. Pulgar del. F.M. Terre inc.

ALSTROEMERIA *latifolia.*

Ls. Galvez del. *V. P. Perez inc.*

ALSTROEMERIA *formosissima.*

L. Galvez del. et inc.

LAPAGERIA *rosea.*

L.c. Galvez del.et inc.

LUZURIAGA *radicans.*

Is. Galvez del. F.M. Terre inc.

[a] ANTHERICUM *coarctatum.*

[b] ANTHERICUM *caeruleum.*

J. Brunete et I. Galvez del. V. P. Perez sc.

a ORNITHOGALUM *corymbosum.* b ANTHERICUM *plumosum.*

Is. Galvez del.

P.N. Gascé inc.

[a] CONANTHERA *bifolia.*

[b] ANTHERICUM *ecremorrhizon.*



F. Pulgar del.

Em. Alegre inc.

[a] SCILLA *biflora.*

[b] ISIDROGALVIA *falcata.*



Is. Galvez del.

J. Querol inc.

[a] HERRERIA *stellata.*

[b] HELICONIA *subulata.*

J. Brunete del. J. M. Bonifaz inc.

HELICONIA *lingulata.*

Es. Galvez del. Em. Alegre inc.

HELICONIA *rostrata.*

Is. Galvez del.

J. M. Bonifaz inc.

TOVARIA *pendula.*

Ls. Galvez del. *Em. Alvarez inc.*

ACTINOPHYLLUM *angulatum.*

Is. Galvez del.

F.M.Torre inc.

ACTINOPHYLLUM *pedicellatum.*

Ts. Galvez del.

F. M. Terre inc.

ACTINOPHYLLUM *conicum.*

Fr. Galvez del.

J. Querol inc.

ACTINOPHYLLUM *acuminatum.*

LIBRARY

Is. Galvez del.

J. M. Benifaz int.

ACTINOPHYLLUM *pentandrum.*

Ls. Gulvez del. P.N. Gascó inc.

GILIBERTIA *umbellata.*

Es. Galeez et J. Brunete del.

F. M. Terre inc.

[a] TROPAEOLUM *bicolorum.* [b] TROPAEOLUM *dipetalum.*

J. Brunete et Fr.ᵉ Pulgar del.

J. M. Veau incul.

[a] EPILOBIUM *denticulatum.*

[b] TROPAEOLUM *tuberosum.*

Ls. Galvez del. N. Cebo inc.

[a] OENOTHERA *virgata*. [b] OENOTHERA *prostrata*.



Ls. Galvez del. et inc.

[a] OENOTHERA *subulata.* [b] OENOTHERA *tenella.*

Io. Galvez del. et inc.

[a] OENOTHERA *dentata.* [b] OENOTHERA *multicaulis.* [c] OENOTHERA *tenuifolia.*

Is. Galvez del. et inc.

a RHEXIA *rosmarinifolia*.

b OENOTHERA *grandiflora*.

Ls Galvez del. P. M. Terre in.

[a] RHEXIA *lutescens.*

[b] RHEXIA *echinata.*

L. Galoisy et J. Brunete del.

J. Querel inc.

[a] RHEXIA *dichranantha.* [b] RHEXIA *flexuosa.*

Is. Galvez del.
P. N. Gasteó inc.

a RHEXIA *ochypetala.*

b RHEXIA *quinquenervis.*

Isid. Galvez delin.

Em. Montero, incid.

[a] FUCHSIA *simplicicaulis.*

[b] FUCHSIA *apetala.*

J. Brunete et Is. Galvez del.

P. N. Gascé inc.

[a] FUCHSIA *serratifolia*.

[b] FUCHSIA *decussata*.

Is. Galvez et Fr. Pulgar del.

F.M. Terre inc.

[a] FUCHSIA *ovalis.*

[b] FUCHSIA *macrostema.*

Is. Galvez et F. Pulgar del.

J. M. Bonifaz inc.

[a] FUCHSIA *corymbiflora.*

[b] FUCHSIA *denticulata.*

64
102